TEXTUS LATINUS

ERNALDUS ABBAS BONAEVALLIS

Arnaud de Bonneval

DE SEPTEM VERBIS DOMINI IN CRUCE

Tractatus

PATROLOGIA LATINA

Tomus CLXXXIX | Columnae 1677-1726

Ex editione J.-P. Migne, 1854

ERNALDI ABBATIS

TRACTATUS

DE SEPTEM VERBIS DOMINI IN CRUCE

Cum scholiis et emendatione Francisci Titelmanni Hassellensis.

(*Biblioth. vet. Patr.*, edit. Lugdun. t. XXII, p. 1260.)

Primum verbum. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*
Secundum. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*
Tertium. *Mulier, ecce filius tuus,* ad matrem; et ad discipulum : *Ecce mater tu*
Quartum. *Sitio.*
Quintum. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*
Sextum. *Consummatum est.*
Septimum. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

Juxta communiorem tamen sententiam, non hoc ordine Christus verba ista dicitur protulisse. Quod enim primo loco jam positum fuit, quartum constituunt. In secundo et tertio convenientia est. Quarto, solet dari locus quintus ; quinto, locus primus. In sexto et septimo, nulla est dissonantia. Exacte quoque perspicientibus Scripturas, et singula adinvicem diligenter conferentibus, apparebit posterior iste ordo verisimilior, et evangelistarum narrationi consonantior. Et forsitan non ideo auctor istum verborum ordinem est secutus, quod ita putaret ea esse prolata, sed quia suæ devotionis affectui ita voluit deservire. Verum de ipso dictorum ordine aut ordinis ratione, non est quod inpræsentiarum anxie disputemus. Ipsa magis quæ sunt dicenda, arrectis auribus et toto pectore intenti audiamus.

ERNALDI PRÆFATIO.

Ultima Christi verba, quæ cruci affixus novi testamenti hæredibus tractanda proposuit, licet sparsim a nonnullis in commentariis Evangeliorum videantur exposita, movit me tamen verborum sanctorum reverentia amplius eorum penetralia scrutari, et quod illa hora qua consummata videbantur (1) quæ de eo fuerant prophetata, prolata sint, cum jam non doctrinæ, sed passionis agebatur negotium, et quod in eis sua omnia Christus recapitulat dogmata, et tam diffuse prius prædicata, brevibus coarctat capitulis : ita ut

(1) Geminam hic auctor innuit rationem, quare novissima illa Christi verba in cruce prolata profundiori sint consideratione digna. Prior est, quod illa hora sint à Christo prolata, quando minime loquendi atque docendi tempus esse videbatur, nempe quando totus premebatur passionum tormentis. Ex hoc enim quod nec tantis tormentorum afflictionibus ab horum verborum potuit impediri silentio, intelligimus admodum seria esse debere verba illa, et plurimam in se utilitatem atque necessitatem continere. Veluti cum nos virum gravem loqui videmus eo tempore quod minime aptum videtur locutioni, intelligimus magnæ necessitatis vel utilitatis esse verbum ejusmodi. Solent item maxime seria esse et familiæ tegimen, bonum proxime concernentia, quæ patresfamilias, cum a domo peregre abscedunt, in ipso abscessus novissimo articulo loquuntur iis quos domi relinquunt. Tunc enim ipsa rerum circumstantia postulat tractari maxime seria. Ita quia Dominus noster a nobis peregre abscessurus, in ipso sui abscessus articulo verba ista prolocutus est novissima, nihil dubium quin verba sint in sese multi ponderis, nobis quoque utilitatis permagnæ. Posterior ratio hæc est, quod mira brevitate plurimam

Digitized by Google

in illo verborum compendio, Christianæ fidei ratio splendeat, et de semine exiguo seges immensa universitati credentium profutura consurgat. Quanto etenim brevius dicta sunt, et in illo articulo quo seria et necessaria agi rerum circumstantia postulabat, tanto diligentius inquirenda sunt; et tanto penitius intuenda, quanto fecundior et causalis et seminalis ratio in eis delitescit.

Evolutis igitur causis, quasi ex quibusdam latebris et ex quodam reclinatorio aureo honorabilem internorum intellectuum majestatem produces in medium, et egredietur palam in decore suo cognoscibilis veritas, quam antea oppositis velaminibus ignorabas, et cum propius accesseris, et infuderit se tibi, illuminans sensum tuum divinæ radiis veritatis, intelliges et videbis in scintilla incendium, et in stilla reperies pelagus, et in lecytho olei, unde creditori reddas debitum, et tibi affatim supersit in inconsumptibilem cibum (4*). *Ante tamen exordium attendamus, quisnam ille sit, qui se clamat derelictum. Nonne ipse qui latroni promittit et donat paradisum? Utrobique Verbi virtutem intellige. Audi quid hæc ultima schola subtilitatis edoceat. Hic idem qui se derelictum causatur, non pro latrone Patrem rogat, sed potestative immerito donatis reatibus, repente flagitiosum sanctificat, et cœlestibus invehit sedibus, et secum in gloria locat. Hoc fundamentum fidei esse, hoc argumentum probabile et necessarium, omni evidentia constat, quod regni Christi etiam in cruce perfecta sit efficientia. Nec minuatur humilitate carnis imperii dignitas, imo hoc ad gloriam Crucifixi pertineat, quod in illa contumelia crucis, sapientiam et fortitudinem mundi hujus vincat et superet quod stultum et infirmum æstimabatur incarnati Verbi venerabile sacramentum* (*I Cor.* I). *Quod enim Filius in persona derelictorum conqueritur, non est impossibilitatis indicium; sed hoc potius intimat, quod diminutio illa excellentiæ superioris humilitati corporis tribuat incrementum : et vicissim humilitas et sublimitas quibusdam revolutionibus inter se partiantur negotium, forma Dei se exinaniens, et forma servi nomen quod est super omne nomen accipiens* (*I Philipp.* II). *Non derelinquitur usquequaque, sed dispensatorie singularum exprimitur ratio naturarum, quia et relinqui et pati et mori quidam arcti et difficiles fiunt transitus* (5), *per quos ad solidum et immobilem statum, quasi pelle peccati deposita, et omni scabie vitiorum detersa, renovatus homo perveniat. Unde etiam quod sitit in cruce fons vitæ, quod supplicante Christo, etiam crucifigentibus locus est veniæ, quod inter convicia et supplicia pietate matris afficitur, quod, omnibus consummatis, victor migrat ad Patrem, indiscussum relinquere ingratitudinis esset et torporis, cum hæc singula capitula proprium syntagma requirant* (5*), *et meditatores legis Dei totius hic religionis reperiant semina, de quibus exercitatus animus divinorum intellectuum fructus uberes metat. Ad quarum rerum indaginem licet insufficientem me judicem, nec oculis impuris puram lucem intueri sustineam, interim tamen sub umbra divinorum secretorum secedens, a prohibitis et inaccessibilibus abstinens, ad reliquas paradisi arbores præsumpsi manus extendere* (6), *et experiri gustu quid saporis intra se dulcedinum multitudo proposita contineat.*

sanctæ eruditionis utilitatem in se contineant, eo quod, penitius considerata, paucula hæc verba universam Christi doctrinam prius diffuse ac late prædicatam, miro compendio in sese videantur concludere. Propter hæc, et semen exiguum appellat istud verborum pauculorum compendium, ex ipso dicens segetem amplam consurgere, aptissima nimirum comparatione, quoniam sicut semen quantitate quidem et mole perpusillum est, claudit tamen et abscondit intra se virtutem admirandam, qua de se possit arborem magnæ molis progignere, cum in terra bona absconditum atque mortificatum fuerit : ita et hæc verba syllabarum numero modica, maximam in se sacræ eruditionis vim concludunt : quæ tum demum se proferet, cum intra terram bonam, id est cor mansuetum et humile, abscondita et bene mortua fuerint. Illic enim seges magna de semine exiguo cernetur exsurgere. Atque hoc pacto etiam illud intelligendum est quod ait, in verbis istis multum fecundam delitescere causalem et seminalem rationem.

(4*) Alludit ad miraculum illud Elisei prophetæ, de quo quarti libri *Regum*, quarto capite legimus, quo videlicet ad precem mulierculæ debitis oppressæ, paululum olei, quod solum in domo sua habebat, mirabiliter multiplicavit, ita ut ex eo replerentur vasa non pauca; quo facto, dixit Eliseus : *Vade, et vende oleum, et redde creditori tuo; tu autem et filii tui, vivite de reliquo.*

(5) De serpente fertur, ubi se senserit senio gravari, et velut scabie sive corruptione quadam pellem antiquam perfundi, tum ipsum ad sibi medendum eligere arctum aliquem transitum et angustum foramen, per quod magna violentia corpus totum traducens, pellem deponit veterem cum sua scabie, sicque veteri pelle liber, toto corpore velut renovatur, quomodo et de aquila ferunt, per attritionem incurvati rostri ad petram rejuvenescentis. Hocque esse putant et interpretantur nonnulli veteres auctores, quod monet in Evangelio Dominus, prudentes fieri suos discipulos sicut serpentes (*Matth.* x). Huc respicit quod hic dicitur *relinqui, pati et mori* esse arctos quosdam transitus, per quos ad statutum novitatis et immortalitatis debeat homo transire, prius deposita peccati pelle et omni scabie abrasa.

(5*) Proprium syntagma, id est proprium ordinem vel dispositionem. Græcis enim συντάσσω significat dispono, vel compono, vel ordino. Unde σύνταγμα significat ordinationem, vel dispositionem.

(6) In paradiso protoparenti Adæ fuit permissum de quibusdam lignis sumere, gustare et edere, sed prohibitum ei fuit lignum scientiæ boni et mali (*Gen.* II). Ipse tamen non solum ad concessa, verum etiam ad prohibita ligna præsumpsit manus extendere. Sic in divinis rebus investigatio quædam est prohibita, ea videlicet quæ per curiositatem majora quærit, quam quæ humanus captus possit comprehendere, de quali investigatione per sapientem dicitur : *Perscrutator majestatis opprimetur a gloria* (*Prov.* xxv). Quædam vero investigare permissum est, ea scilicet quæ humanum captum non excedunt et animum in vera pietate ædificant. Qui ergo prohibita in rebus divinis scrutari præsumit, recte dicitur, *ad prohibitam arborem manum extendere.* Qui autem concessa humiliter considerat, *ad alias arbores non prohibitas dicitur manus extendere.*

Digitized by Google

TRACTATUS PRIMUS.

Super verbo illo : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* (*Marc.* xv.)

Post regulas fidei evangelico dogmate promulgatas, post signa et miracula et documenta justitiæ, quia iter longum fuit per præcepta (Seneca, epist. 6), ventum est et ad compendiosum et efficax per exempla. Et ne aliquid doctrinæ deesset, secuta est forma : quæ ideo ad ultimum dilata est, ut quasi piæ hæreditatis testamentum filii superstites eo devotius amplecterentur, quo Christi sanguine conscripta privilegia sua viderent, et impressam obedientiæ ejus imaginem bulla imputribilis exhiberet. Ideoque ex illa cathedra crucis quoddam Deuteronomium dictatum est (6*), in recapitulatis breviter quæ multa prolixitate diffusa erant, satagit simul Magister bonus facere et docere (*Act.* i) et exemplo consummare doctrinam, nec tam veritatis præceptor esse, quam testis. Modo ultro eloquitur, qui paulo ante ad Herodis et Pilati inquisitiones conticuit (*Luc.* xxiii), curiositatem et fastum timentium [*fort.* curiositatem fastu tumentium] hominum aspernatus, pauperes spiritu de patibulo edocet, ibique scholam religionis iterum instituens, pauca proponit capitula, in quibus et affectum charitatis intimat, et zeli sancti imitationem commendat. Non possunt impedire tormenta doctrinam; sed quasi hebes contemnitur ferrum, et providet sollicita pietas, ut ad regulam fidei discipulorum mores æquentur, et conquadrato fundamento ædificatio firma stabiliter innitatur. Se igitur ipsum modo hominem exhibet, modo Deum, modo omnipotentem et modo infirmum, ut inter se sublimitas et humilitas vices negotio congruas partiantur. Modo supplicat, modo imperat, modo se dicit derelictum, modo latroni promittit paradisum. Agit, secundum utramque naturam, quod exigit causa. In hac contemnitur, in illa gloriam regnumque largitur. Perstrepebant ante crucem clamores irrisorii, et ad dolorem vulnerum cruenta plebs addebat convicia (7), ringebat et torvis aspectibus in faciem quam conspuerat intendebat, et unanimi classico acclamabat : *Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas* (*Matth.* xxvii, *Marc.* xv). Vide quantum mali error et perfidia principum alliniverat plebi, quantum rubiginis suæ affricuerat populo imprudenti auctoritas sacerdotum, quantum convaluerat conjuratio facta in Christum cum occiderent eum et nomen ejus delerent e medio. Non verebantur omnes homicidii titulo in perpetuum esse notabiles (8), uno in se et in parvulos suos tanti sceleris reliquias congerebant, et ultro damnationis suæ chirographo suscribebant. Nondum exspiraverat Christus, sed fossis manibus pedibusque, et, scisso vepribus capite, vivebat in cruce, et, parricidalium mentium intuens vota, non tam clavorum acumine quam illorum crimine pungebatur. Pro his igitur ad Patrem convertitur (9), et charitatis argumento prolato in medium, inauditum dicendi genus

(6*) Multum apposite istud septem verborum novissimorum compendium appellat quoddam Deuteronomium : quod Græcis dicitur quasi δεύτερος νόμος, id est secunda lex vel, iterata lex. Atque ita appellamus quintum librum Moysi, eo quod in ipso Moyses breviter recapitulet pene omnia quæ in aliis libris prioribus, vel quantum ad res gestas, vel quantum ad traditam doctrinam, latius fusiusque descripserat. Ita et hoc septem verborum compendium, quia breviter complectitur omnem Christi doctrinam ante per eum diffuse prædicatam, non immerito Deuteronomium potest appellari, quasi lex secunda vel lex iterata.

(7) Videtur alludere ad illud psalmi : *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (*Psal.* lxviii), ubi supplendum videtur, *convicia*, aut aliquid hujusmodi. In eo autem quod statim subditur, *ringebat*, etc., canum exprimit proprietatem, quorum est nasi contractione in iracundia ringere. Canes enim Scriptura nominat Christi persecutores, veluti cum psalmo xxi, ex Christi persona dicitur : *Circumdederunt me canes multi* (*Psal.* xxi).

(8) Id factum est, Judæis adversus Christum clamantibus : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* xxvii). Tunc enim homicidarum titulum in se susceperunt, confitentes se esse auctores mortis illius. Tunc reliquias tanti sceleris, id est ultionem pro tanto scelere debitam in se et in suos parvulos congesserunt. Peccati namque reliquiæ, vindicta est et pœna quæ debetur pro scelere. Tunc et damnationis suæ suscribebant chirographo, quoniam voce propria homicidas sese esse confessi sunt.

(9) Videntur prima facie quæ hic dicuntur, non pertinere ad verbum propositum : *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* sed magis ad illud : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii). Verumtamen cum diligentius attendimus, comperimus recte omnia de verbo illo priore intelligi. Juxta auctoris namque sententiam, hoc verbo Christus honesta quadam et blanda humilique querimonia suæ passionis a Patre exigebat mercedem, quæ erat hominum salus et peccatorum conversio. Agitque quasi per justitiam cum Patre, velut indicans fieri sibi injuriam, si cum ipse secundum divinitatem Patri æqualis in assumpta humana natura ad tantam derelictionis miseriam ultro se submiserit, non ei concedatur postulata hominum salus, pro quibus ita se exinanivit. Atque hoc est quod post paululum auctor ait : *Utrum plus possit peccatum quam justitia, Deo Patri quæstionem proponit.* Justitiæ namque obtentu exigere poterat Christus hominum salutem, postquam pro eis tanta subiisset certamina. Injustum enim fuisset tantos filii labores apud Patrem vanos et irritos fieri, id quod clarius exprimit post paululum, cum ita dicit : *Alioqui subtracta sibi agonum suorum stipendia Christus queritur*, etc. Et iterum clarius, cum post multa interposita sic dicit : *Quod autem derelictum se Filius commemorat, mercedem obedientiæ postulare videtur.*

Digitized by Google

novus orator assumit, et inimicorum causam allegans, ipsis invitis atque negligentibus, parti contrariæ suffragatur et utrum plus possit peccatum quam justitia, Deo Patri quæstionem proponit. Et edisserit esse inconveniens ut amplioris sit virtutis delictum quam donum, et prævaleat malitia bonitati, et perditio saluti. Cum enim ipse ad hoc nitatur ut salventur, et Judæi ad hoc ut damnentur, plus debet apud Deum posse Filii charitas, quam populi cæcitas, quia et hoc non minimum habet pondus, quod causæ huic non patrocinatur alienus, sed Filius, neque reipublicæ commodum ex hac indulgentia minuitur, sed augetur : ideoque nec legibus nec judici derogat, si temperatur sententia, quia cum communibus utilitatibus tribunalia deserviant, non est sibi contraria institutio, quæ quocunque tramite ad propositum redit, quæ quod a statu integritatis suæ elapsum erat restituit. Alioqui subtracta sibi agonum suorum stipendia Christus queritur, protestans non esse quæstuosos tanti discriminis sudores, si hi quibus tanti laboris opera impensa est sic relinquantur, et ad salutem eorum inefficax sit hæc humilitas, et ita sanguis Filii in conspectu Patris vilescat, ut non omnia postulata obtineat. Clamat igitur : *Heloi, Heloi, quare me dereliquisti?* (*Matth.* XXVII.) Non improperat Patri, nec derelictum se dicit quasi contumelia crucis contra propositum videatur opposita; ultro enim et ulnas patibulo, et palmas ferro exposuit (10); sed quantum sit obedientiæ fundamentum et culmen, interrogans innuit, cum se et minorem et æqualem ostendit. Describitur humilitas, adest majestas, fortius est et sapientius omni virtute et sensu hominum, quod in Christo Judæus et Græcus stultum æstimat et infirmum (*I Cor.* I). Secundum formam servi, legationis suæ ministerium non erubescit, non diffitetur carnis naturam passibilem et mortalem. In hac forma Patri blanditur Mediator attentus, nec abnegat quod videtur, nec rapinam arbitratur, si aliquid pro potestate loquitur, et Patrem aliquando ex æquali affatur.

Deum igitur suum vocat, ne quis quod proprium est alterius ad alterum, existimet alienum; et quod commune videtur, secare præsumat, quasi divisum. Naturæ divinæ communio inter Patrem et Filium non admittit scissuram; et licet sit ibi discretio personalis, una tamen est divinitas et essentia naturalis. Suum dicit, ut manifestum fiat quod ille qui suus est in nullo ei contradicere possit. Deum suum dicit, ut nobis minime formidandum judicem intimet, quem sicut suum flectere possit, et ad eum tutum esse accessum, quem non ut alienum appellat, sed suum. Nec parvam confidentiam hujus familiaritatis germanitas exigit, quæ in conspectu Patris tantam derelictorum sollicitudinem gerit, ut se quoque in eo, quod constat voluntarium esse et spontaneum, dicere non dubitet derelictum. Impossibile sane est ut in Patrem bonum, bonæ voluntatis cadat ingratitudo, et non magis in tam benigno dilecti sibi Filii affectu complaceat. Quod autem derelictum se Filius commemorat, mercedem obedientiæ postulare videtur; nec diu beneficium differri tolerat, quod deberi sibi obedientia morti obviam procedens, confidenter proclamat : *Quare*, inquit, *me dereliquisti?* Hujus mysterii rationem nondum intellexerat mundus, necdum tanti sacramenti effectus palam advenerat, et necesse erat ut tam opus quam virtus hujus holocausti innotesceret, et auditoribus Evangelii imprimeretur hæc forma, ut discerent ex præsenti regula unumquemque oportere deinceps introire in sancta in sanguine proprio (11), et finem advenisse earum expiationum, quæ factæ erant eatenus in sanguine alieno. Periret enim et prorsus diluereturque religionis auctoritas, si iterum circa imagines et umbras veritatis occuparetur, et non magis ipsam veritatem apprehendens, mores in se taurinos vel hircinos mactaret, et in altari intrinseco puræ devotionis non adoleret fragrantiam, pro turture et columba pietatis et sanctimoniæ intendens affectui. Describitur Christus ad modum Jonæ prophetæ, projectum in mare venter belluæ suscipit (*Jonæ* II); sed prope erat susceptio matutina, de qua Pater prædixerat dicens ad Filium : *Exsurge, gloria mea* (*Psal.* LVI); et Filius ad Patrem : *Exsurgam diluculo* (*ibid.*). Exarmata erat navis, fractumque remigium (12); sed recollectis reliquiis, iterum navigii supellectilem gubernator magnus aptat ad cursum; et cujus res deploratæ esse videbantur, dum clauderetur intra sepulcrum, devicta morte victor egrediens, imperavit ventis et mari (*Matth.* VIII). Et infernus obstupuit judicem, quem quasi prædam peculiarem un-

(10) *Oblatus est quia ipse voluit* (*Isai.* LIII).

(11) Potest id dupliciter intelligi. Primo de sanguine proprio ipsius Christi, in quo et per quem nobis est ingressus in sancta, id est in cœleste regnum introitus. Quemadmodum Paulus apostolus de ipso ait, quod *non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introierit semel in sancta, æterna redemptione inventa* (*Hebr.* IX). Secundo possumus de uniuscujusque sanguine proprio verbi hujus intellectum accipere, ut indicetur unumquemque cum Christo volentem introire in cœlos, debere per proprium sanguinem, non per alienum illuc intrare, id est seipsum mactando et immolando, carnem videlicet crucifigendo, juxta Apostoli consilium, cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V), sicque nos ipsos passioni Christi conformando. Cui bene respondet, quod paulo post adjungit de moribus hircinis vel taurinis mactandis. Uterque autem intellectus, bene proposito convenit. In hoc enim quod Christus ita in cruce derelictus pendet, clamans : *Deus meus*, etc., primum hoc nobis ostensum est, quod ipse vera sit hostia, per quam esset accipienda peccati remissio et cœlestis regni hæreditas, quoniam ipse qui ita pro nobis loquebatur mediator erat et hostia. Deinde et hoc docuit suo exemplo, debere nos ita nos ipsos immolare in hostiam viventem Deo (*Rom.* XII), quomodo ipse se ibi immolabat, ut socii facti passionum et similitudini mortis ejus configurati (*II Cor.* I), consolationum quoque socii et gloriæ consortes efficiamur.

(12) Loquitur per comparationem sumptam e

Digitized by Google

guibus carni infixis pro consuetudine indifferenti attraxerat. Sane ille psalmus cui titulus est : *In finem, pro susceptione matutina* (13), ex persona Christi sic incipit : *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* (*Psal.* XXI.) Sed *hæc erant verba delictorum* (*ibid.*), id est in persona eorum quibus ipse se unierat, quibus per omnia absque peccato similis erat (*Hebr.* II). Suos dicit peccatores, propter quos venerat, quorum caput erat; neque membra sua a se abscindi conveniens judicabat. Alioquin absque nota et labe peccati si corpus inquiras, caput sine corpore constituas, nec erit cui proficiat bonitas, si non sit infra quæ regatur infirmitas.

Agit igitur caput causam corporis sui, et pro infirmis suis sollicitus medicus, in tantum compatitur, ut etiam ex parte se infirmari non dedignetur, et, ut amplius dicam, sit peccatum qui abradebat peccatum. In qua parte patitur, derelinquitur, quia naturæ impassibili in nullo congruit injuriari vel pati. Absentat se passioni divinitas : hoc solius carnis est, in hoc solo se deseri Filius innuit, ut undique sanæ fidei veritas elucescat, et palam sit, quia secundum quod Deus est omnino non moritur; et secundum quod homo, dispensatoria ratione ad tempus moriturus deseritur. Deseritur itaque cum derelictis et pro natura quam assumpserat, tributum solvit, et evecturus secum genus suum ultra hujus sæculi pelagus, piratis rapacibus naulum carnis protulit, inviscatisque dentibus eorum, illusit voracibus (14), et tam se quam prædam suam abstraxit et evexit. Pro debitoribus debitorem se objecit, et quod ex se non debebat, ultro debere non abnuit : ideoque totius debiti summam, ab eo qui pro omnibus se tradebat, exactor exegit. Relictum vidit ad tempus, et penitus posse exstingui arbitratus est; sed abjectio voluntaria non expers erat omnipotentiæ, et calix ille amaritudinis, concupiscentiæ venena infusa antiquitus, ab imo avulsit, et vomitu repentino tota veteris fermenti conspersio ejecta est. Extensis igitur brachiis Christus in cruce totum corpus suum infra se positum complexus est; et sub alis crucis aggregato genere nostro, ibi et protexit et fovit, ubi nihil posse putabatur, et in quo victus æstimatus est, maximæ victoriæ vexilla erexit, quia neque mors in eum usquequaque prævaluit, neque Pater ulla modo negare Filio indulgentiæ privilegium potuit, quod ad pedes ejus prostrata charitas postulavit. Obtinuit itaque dejectio capitis veniam corpori, et percusso vertice, solidata sunt membra, ut non segnis sit recompensatio, et semper quid debeat homo Christo pro quo ille mortuus est, in hac forma meditetur et relegat. Fixumque præ oculis sit hoc charitatis argumentum, maneatque hoc vivum documentum, et continuæ persuasionis exemplum. Sed et nobis, qui toties derelinquimur quoties nos tentamina colaphizant, non negligenda quæstio est, inquirere cur derelinquimur, et intellectis causis indagare remedia. Quia non poterit in illa mente diu labes obrepere, quæ se provida studuerit circumspectione munire. Deserimur nonnunquam, cum hanc curam negligimus, et commonent nos contumeliæ propulsantes, ut solliciti simus, et medetur quandoque negligentiæ confusio; compelluntque ad remedia confessionum nonnullos (cum se erubuerint aberrasse) ipsa tentationum lndibria. Castigatur sæpe ex casu superbia, et præsumptio ex ruina. Pulsatur sanctitas, ne extollatur et ut exerceatur, vexatur; ad tempus in modico derelinquitur, et in magnis miserationibus denuo congregatur. Labitur et erigitur; deficit, nec sufficit ex se ut ad medicum recurrat. Ad hanc inquisitionis formam proposita a Christo in cruce quæstio nos invitat, quoties non pungit stimulus carnis, vel rapit in mirabilibus supra nos elatio mentis. Nec tamen peremptorius æstimandus est recrudescentis peccati pruritus (15), cui obviam pergit ratio, et serpenti

naufragantium periculo, quibus hoc interdum videtur contingere, ut armis omnibus atque instrumentis quibus navis gubernabatur perditis, fractoque remigio, et omnibus rebus desperatis, tandem alicujus industria navis ad recti itineris cursum et portum quietis dirigatur. Ita videbatur res esse desperata, quantum ad nostram salutem operandam, Christo mortuo et in sepulcro posito, quemadmodum ipsi quoque dicebant in via colloquentes discipuli : *Nos*, inquiunt, *sperabamus quod ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV), quasi res jam videretur desperata. Sed post paululum, gubernator magnus reparavit omnia, et fine bono consummavit.

(13) Psalmus ille in ordine est vicesimus primus, quia miseria passionis initium sumens, finit in resurrectionis gloria et magna lætitia. Propter quod, potius *a fine* inscribitur, *pro susceptione matutina*, quæ in resurrectione facta est, quam *a principio, pro derelictione vespertina*, quæ erat passionis tempore. In eo autem quod sequitur : *Sed hæc erant verba delictorum*, quidam codices habebant *derelictorum*, alii *delictorum*. Magis ad propositum videtur, *delictorum*. Videtur enim ad illud psalmi respicere : *Longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI). Unde et in declaratione prosequens ostendit, quare dicat Dominus *verba delictorum meorum*, declarans quomodo peccatores dicat *suos*, ac proinde et peccata eorum *sua*.

(14) Piratas appellat diabolos, qui ante Christum omnes per hujus sæculi pelagus navigantes, id est de mundo transeuntes, rapiebant ad inferna. His quoque Christus carnem suam protulit pro naulo, dum secundum eam dispensatorie mori voluit. Cum autem dicit : *Inviscatisque dentibus eorum*, etc., videtur loqui auctor ex consuetudine navigantium in mari, qui occurrentibus sibi piscibus magnis, a quibus navi timent subversionis nocumentum, extra navem aliqua projiciunt, in quibus, dum illa animalia voracia occupantur, vel dilacerandis vel devorandis, navis transit illæsa; nonnunquam etiam visco aut hujusmodi materia liniunt quæ foras projiciunt, ut ori ac faucibus illa adhærentia, a navis et navigantium persecutione voraces impediant. Ita legimus Danielem cum dracone, qui apud Babylonios colebatur, egisse (*Dan.* XIV). Massas enim composuit, ex pice et adipe et pilis, quas in os draconis mittens, cum interemit; quæ etiam figura huic loco non male convenit.

(15) Peccatum in homine recrudescit et pruritum excitat, quando concupiscentia ad peccatum semel commissum iterum nos invitat et sollicitat. Hic autem recrudescentis peccati pruritus non est ad mor-

Digitized by Google

scabiei opponit cauterium. Licet enim suffumigent A sedataque procella divinitus, quod putabatur detri-
afflata incendia, et flamma vorax jam tectorum mentum, invenitur solatium, et quod relictum et ob-
clambat fastigia, una gratiæ stilla subitusque re- litum, assumptum et restitutum.
spectus clementiæ uno flatu ea in cineres rediget,

TRACTATUS SECUNDUS.

Super verbo illo : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII).

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra (*Psal.* VIII), qui et ex impiorum ore perficis laudem (16). Ecce unus de B derelictis assumitur. Latro ille collateralis tuus, damnatus ob scelera, illum victoriæ tuæ præcursorem constituis, et vivificatum ex gratia in paradisum præmittis : in quo confusus est inimicus, et ultor hæreticus, et proditor perversus discipulus, et detractor Judæus. Opponebatur a Pharisæis Christo pro crimine quod cum peccatoribus, quos lex abdicabat, ad legis injuriam, non tantum verbo, sed etiam communicaret convivio. Cum enim leprosos et immundos ex ritu et decreto extra castra depelleret, abrasisque parietibus earum domorum, in quibus fuerant conversati, ipsis quoque in quibus consedissent subselliis, propria mandaretur purgatio (*Num.* V; *Lev.* XIV), hoc arguebant in Christo, quod hujusmodi personarum nec mensam vitaret C nec domum, sed susciperet et sanaret. Inoleverat superstitio, et occasione legis intellectæ carnaliter, persequebantur quidem ministri legis peccatum, cum tamen nec ipsi essent a peccato immunes, subscribebantque damnationibus propriis, nullum locum misericordiæ reservantes (16*). Nefas putabant quod Christus curabat in Sabbato (*Luc.* XIII; *Joan.* VII), quod misericordiam præponendam docebat judicio. Ita et quidam hæretici, in quibus sunt Novatiani, qui volunt videri defensores Ecclesiæ (17), eos qui in quocunque crimine post baptismum lapsi sunt, pœnitentia censent indignos, et omnino non posse restitui dogmatizat illa impietas, quem in aliquod crimen humana impegit infirmitas. Verum Christus et falsos defensores fidei hæreticos, et inimicos gratiæ Judæos, præsenti judicio destruit et convincit, mutans legem in gratiam, terrorem in mansuetudinem, asperitatem in lenitatem, umbram in veritatem, judicium in misericordiam. *Novus rex, nova lex* : *Novus dux, nova lux*, fractis prioribus tabulis, et silice ad silicem comminuto (18), novis subscriptionibus figit titulum, et dictat pietas, et discernit omnia charitas. Scribitur tribus linguis insignibus, Hebraica, Latina et Græca regnum Christi : et dominatio ejus emanatura in gentes, cruci insculpitur, nec corrumpere Pilatus quod scripserat voluit, et, licet tam insignem titulum deleri perfidia Judæorum clamose expeteret, obtinere

tem illi qui patitur, non est peremptoria vel mortalis illa ad malum tentatio, modo ratio obsistat contra luctando, nec permittendo scabiem malitiæ latius serpere, sed cauterium adhibeat et medelam. Quantumvis enim magna et vehemens videatur esse tentatio, si desit consensus, et sic contra se opponat ratio, nihil potest mali contingere ; sed Dei gratia fiet ut, juxta Apostolum, *diligenti Deum omnia cooperentur in bonum* (*Rom.* VIII), et nihil sit damnationis : quod pulchra comparatione consequenter D indicat auctor, sumpta ab incendio grandi, quod una gratiæ stilla exstinguitur.

(16) Canit Domino Psalmista quod ex ore infantium atque lactentium sibi perfecerit laudem (*Psal.* VIII). Auget rem noster auctor, dicens etiam ex impiorum ore Deum sibi perfecisse laudem, id quod in latrone misericordiam consecuto dilucide monstrat. Dicit autem in hoc opere miserationis divinæ confusos esse, inimicum hæreticum, perversum proditorem discipulum, et detractorem Judæum, sic pulchre singulis singula tribuens. Et de duobus quidem novissimis bene id demonstrat, inverso ordine, prius de Judæo detractore, posterius de ultore sive defensore hæretico. De proditore autem discipulo omittit prosequi, quoniam id ex aliis manifestum relinquitur. Confusus enim est ille qui desperavit posse veniam consequi de peccato suo, dum huic latroni tam facile, tam multa, tam magna donantur scelera.

(16*) Nimirum quia juxta beati Jacobi sententiam, *judicium sine misericordia fiet illis, qui non fecerint misericordiam* (*Jac.* II), et ut Paulus ait, in quo quis alterum judicat, seipsum condemnat (*Rom.* II).

(17) Videtur auctor illud psalmi, *ut destruas inimicum et ultorem* sive defensorem (*Psal.* VIII), velle particulatim applicare alterum ad Judæos, alterum ad hæreticos. Judæum vocat inimicum, quasi invidum detractorem et persecutorem. Hæreticum autem appellat ultorem sive defensorem, quoniam ita se solent jactare hæretici, tanquam propugnatores sint veritatis et defensores Ecclesiæ. De his autem Novatianis, deque ipsorum principe Novato, et eorum errore ex libris orthodoxorum Patrum qui adversus illos scriptis depugnarunt, licet cognoscere.

(18) *Silice ad silicem comminuto*. Alludit ad historiam libri *Exodi*, ubi legimus Moysen iratum tabulas lapideas, digito Dei præcepta inscripta continentes, ad radicem montis projecisse de manibus, atque in partes comminuisse, ut iterum necesse fuerit novas tabulas excidi, et iterum scribi (*Exod.* XXXII). Quod signum erat commutationis vel potius renovationis et perfectionis veteris legis, per legem novam evangelicam. *Silice*, inquit, *comminuto ad silicem*, quia et tabulæ erant lapideæ, et ad montem, qui erat lapideus, comminutæ sunt illæ tabulæ.

Digitized by Google

nullo modo prævaluit (*Joan.* XIX). Jam ad hanc Scripturam latro crucifixus pertinebat, et eum intra se illæ litteræ colligebant; jam spes subintrabat converso, quia crucifixo sibi mundo inhiabat cœlestibus, dilatatusque charitate, quasi conspuis repudiatisque quæ infra sunt, cum Christo tractabat de regno, affectabat superiora, et cum jam anima egressum accelerans in primis labris esset (19), et hora ultima adventaret, æquo animo ibat, nec urgebat formido pœnarum conscientiam, quæ se sanguine Christi præterfluente sentiebat ablutam. Exacuebant linguas venenatas blasphemantes Christum Judæi, et conclamabant et emovebant convicia, et quasi victores insultabant pendenti. Fugerant apostoli, sola plebs maledicta firmatis nequam sermonibus, celebrabat ludibrium : Romanis militibus seditionibus tumultuosis cedentibus, pro potestate ministerium potius exhibentibus quam consensum (20). Sed et alter latro oblatranti plebi assentiens, quod nec se nec alios salvos posset facere, testabatur, irridebatque comparticipem suum, qui in eum quem in eadem secum damnatione videret, spem poneret, et nugatorium omnino videbatur illum credere regem vel Deum, quem secum oppresserat idem opprobrium et simile tormentum.

Erat itaque unus irrisor, alter confessor; unus exprobrator, alter venerator; hic sperans, ille desperans; hic diligens, ille negligens. Aderatque illi controversiæ judex, qui data sententia blasphemum ad tartara, confitentem præmisit ad regna. Sane hic de quo agimus latro, mansueti animi, et sicut testem Christi debebat, in auditorio publico fidei protulerat argumenta, et novo philosophandi genere supplicii tanti inmemor, cum blasphemo illo de timore Dei, et justitia disputabat. *Neque*, inquit, *tu times Deum, qui in eadem damnatione es; et nos quidem juste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit* (*Luc.* XXIII). Credit et confitetur, testis est innocentiæ Christi; increpat maledicum, nec sibi parcit; sed tantum accusator sui, seipsum adversum se sententiæ veritate prolata, persequitur. Damnatio, inquit, similis quidem est, sed causa differens, cum hic ad hoc destinatus sit ex obedientia, nos ob flagitia. Causam accusat, non arguit pœnam; exsecratur scelus suum, non detrectat judicium. *Neque*, inquit, *tu times Deum.* Deum fateri non erubescit, quem ex invidia, non ex merito noverat crucifigi. Intelligere enim, revelante non carne et sanguine, sed ipso cui attestabatur, jam poterat, quia quod fiebat, voluntarium erat, non necessarium (21), quia ut sic fieret, voluntarie fuerat definitum. Ibi igitur philosophatur, et prædicat, et fatetur, ubi non tantum diffugiunt et tremunt apostoli, sed et ipsi maligni spiritus jamjam impositi sibi freni salivaria masticantes (22), per antiquum or-

(19) Proverbialiter dicitur *anima* illi esse *in primis labris* qui est morti proximus, quando est in proximo ut emigret e suo hospitio anima.

(20) Hoc dicit, ad indicandum quanto crudeliores et petulantiores in Christum fuerint Judæi, quorum tamen non erat, justitiæ sententiam exsequi, quam gentiles præsidis ministri, ad quos spectabat sententiæ præsidis, domini sui, exsecutio. Non enim verisimile est Romanis et ingenuis militibus hanc placuisse petulantiam, quoniam non erat consuetudinis, ita procaciter insultare sic in extrema miseria reis pendentibus. Neque dubium quin mirabantur gentiles præsidis ministri improbam Judæorum rabiem et insatiabilem maledicentiam, quam in hominem ita misere damnatum exercere non desinebant.

(21) Christi passio simpliciter voluntaria fuit, et non simpliciter necessaria. Videri tamen posset fuisse non omnino voluntaria, eo quod ita definitum erat in consilio Divinitatis ut Christus pateretur. Quod consilium quia non potest non impleri, videri posset, non fuisse omnino voluntariam, sed partim necessariam Christi passionem. Sed hanc dubitationem auctor evacuat, dum e vestigio adjungit : *Quia ut sic fieret voluntarie fuerat definitum.* Simpliciter enim voluntaria fuit Christi passio, quia voluntarie Pater et Filius definierunt, ut Filius in assumpta natura humana pateretur. Unde licet supposita definitione illa, necessarium fuerit consequi ejus adimpletionem, quia non potest Dei consilium quod voluntate definitum fuit, irritum fieri, voluntarie tamen impleta est illa definitio, sicut voluntarie ita fuerat definitum. Quidam autem codices hunc locum velut contrario sensu legunt, cum assertione, hoc modo : *Quod fiebat voluntarium erat et necessarium.* Et ut declaretur, quomodo erat id necessarium subjungitur, *quia ut sic fieret erat voluntarie definitum.* Unde cum non possit non impleri, quod definitum est, consequi videtur ut, supposita illa definitione, necessarium fuerit Christum pati. Quam necessitatem non simpliciter necessitatem, sed necessitatem conditionalem, vel necessitatem consequentiæ appellant theologi, priorem appellantes necessitatem simpliciter, aut necessitatem absolutam. Unde neutra lectio falsitatem habet, sed prior videtur loco magis congrua, quam nos quoque secuti sumus.

(22) Aptissimam ab equis ferocibus ad spiritus malignos trahit comparationem. Videmus enim equos feroces, cum ipsis fuerint injecta per aures frena, salivaria quoque in os immissa vel intrusa (quæ sunt ferramenta illa per os transeuntia, in quibus et noduli sunt vel globuli ferrei volubiles) magnam ostentare impatientiam, dum quasi frena gestientes rumpere, morsu continuo et linguæ assidua volutatione salivaria illa mordent, volvunt, et quasi masticant, ita ut effluat ab illorum ore saliva copiosa. Et ita quidem feroces equi impatientiam monstrant, prius etiam quam se in dorsum sessor gravis injiciat, aut priusquam calcaribus urgeat. Hanc rem accommodans malignis spiritibus, innuit, etiam ante Christi per mortem consummationem in passione ipso adhuc constituto, cœpisse sentire dæmones virtutem Christi : propter quod, obluctantes cœperunt injectum sibi frenum mordere, et masticare salivaria, id est impedire passionem Christi conabantur : idque per linguam mulieris, uxorem scilicet Pilati, quam in somnis ad hoc vexaverant dæmones, ut mortem Christi per eam impedirent, juxta quod sanctorum quidam locum illum sunt interpretati. Linguam autem femineam vocat antiquum organum diaboli, quoniam per eam a principio Adam seduxerat serpens, totumque genus humanum perdidit. Unde per idem nostram tunc reparationem voluit impedire, per quod prius nos ad perditionem deduxerat.

Digitized by Google

ganum suum, linguam femineam nitebantur colligationes illas impietatis dissolvere : scientes, quia fortis armatus hic, ancipiti gladio erat eos de diu possesso hujus mundi atrio ejecturus. Itaque concionator illustris, oblato confessionis et fidei odoramento, impositoque latroni blasphemanti silentio, victoriæ suæ palmam et auctoramentum a judice exigens ad Christum convertitur, et dicit : *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* xxiii). Considerare necesse est quem locum, quem modum, quod tempus hæc causa habuerit, et quam celerem auditum confessio meruerit, quid possit pœnitentia, quomodo bonus Dominus tribulato corde clamantem ad se servum suum etiam in ultimo peccati puncto non negligat. Hora mortis erat jamque confitentis anima faucibus hærebat, jamque linguam ejus alligabat angustia; illoque articulo temporis fere ab ipsis apostolis salus desperabatur. Modus passionis, crux, inter omnia supplicia turpissimum et atrocissimum.

Quibus postpositis, quasi plagarum et sanguinis immemor, dictator Evangelii latro efficitur : et (quod persuaderi illa hora difficile erat) Christum Deum in cruce fatetur : ibi orat, ibi adorat, multa simul pietatis officia complectitur. Credit, timet, compungitur et pœnitet; confitetur et prædicat, amat, confidit et orat. Fide illuminatur, timore subditur, compunctione molitur, pœnitentia concutitur, confessione purgatur, prædicatione zelatur, dilectione dilatatur, confidentia sperat, oratione impetrat. Ne irascaris, Princeps apostolorum : tibi dico, Petre, cui claves regni cœlorum commissæ sunt (*Matth.* xvi). Et te amare flentem Christus respexerat, et donaverat negationis reatum, qui non ex sententia, sed ex infirmitate desciveras (*Matth.* xxvi). Te tamen juxta crucem non video; territus lates, nec saltem matrem Christi feminasque sanctas prosequeris, quæ spectaculo lugubri astabant immobiles. Nec ibi apostolica auctoritate uteris, ubi ad invicem, fixis juxta crucibus, privata miscent colloquia Salvator et peccator. Absens eras, et ministerii tui claves (quod pace tua dixerim) modo non profers. Supplet vicem tuam summus sacerdos, apertisque seris antiquis, latro primitiæ derelictorum introducitur, aperiente Christo, in regnum cœlorum. Amovetur ab introitu paradisi custodia ab initio pervigil, et versatilis gladius ille minax, quem cherubim ab antiquo non vibraverat (*Gen.* iii). Ibi latro locatur, unde lucifer corruit; et cui tu forsitan ultra septies ignoscere nolles, ultra septuagies septies [illegible], sed absolutus a bono Jesu, modo cum angelis

A conversatur. Resurge, et disce ignoscere, neque annumeres peccata, vel multiplices tempora. Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas divina clementia; sit qui invocet, erit qui exaudiet; sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Non huic pœnitenti multorum annorum jejunia imponuntur, non nudipedalibus vel sacco afficitur; simul et confitetur, et justificatur, et glorificatur. Vide horam, nota personam. Ultima hora, peccatrix persona, multa antiquaque peccata illico abolet gratia, nec processu moraque temporis indulgentia limat corroditque culpæ rubiginem; sed ubi repente facto cœlitus sono Spiritus sanctus illabitur, quidquid immaduerat peccati tabe, siccatur; nec superest ullum fœditatis vestigium vulneri,
B quod misericordiæ abluit lavacrum. Fetebat etiam quatriduanus in monumento Lazarus (*Joan.* xi); suscitatus non tabescit languore, erigitur, solvitur et statim convescitur. Nulla lepræ crepido, nullus sinus in facie Simonis superest (23). Hospes incolumis, curatori suo hilarem exhibet famulatum, nullum signum horroris comitantibus magistrum, idem conviva et minister prætendit (*Luc.* vii). Maria Magdalene ad pedes Christi plorat et orat, tergit et ungit : nec improperat Christus vitam infamem et inverecundiam, nec opponit quod diluit, nec exprobrat quod ignoscit; quidquid agit in hujusmodi, celeri nutu Spiritus sanctus consummat; nec emendicat aliunde suffragia, qui quod dicit facit, et quod illu-
C minat format, qui statim piscatores facit doctores, et idiotas prædicatores. In hac gratia non affligitur exspectatio dilatatione, nec intervallum est inter optatum et datum. David dicit : *Peccavi* (*II Reg.* xii). Et propheta : *Translatum est peccatum tuum* (*ibid.*). Ad Cain dicitur : *Peccasti, quiesce* (*Gen.* iv). Ad mulierem in adulterio deprehensam : *Non te condemnabo, noli ultra peccare* (*Joan.* viii). Quid commemorem Ninivitas, quorum pœnitentia subito judicem amovet a sententia? (*Joan.* iii.) Quid Achab et Manassen, reges impios, quorum contritionem in angustiis non est aspernata divina clementia? (*III Reg.* xxi; *II Par.* xxxii.) Inter cætera pietatis exempla, latro noster nobis occurrit, pœnitentiæ regula, confessionis forma, indulgentiæ præco, spei
D exemplum : qui dum ingemit, subito quod quærit invenit, quod petit accipit, et illico audit : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* xxiii). Non ad loca purgatoria flammasque peccatorum ultrices confitens destinatur, non ad loca tenebrosa et tormenta deducitur, nullam pars adversa gratiæ Dei præsumit inferre calumniam, una crucis pœna omnia abolet

(23) Crepido a *crepo* venit, secundum eam significationem qua frangi significat. Unde crepido dicitur præruptі alicujus saxi prominens fractura sive fracturæ altitudo. Sinus vero dicitur curvatura sive inflexio, quemadmodum sinuosa dicuntur littora, quæ multas habent inflexiones sive incurvaturas, aquas ipsas in modum sinus complectentia. Ita in leprorum carnibus, per similitudinem, velut crepidines quasdam et quosdam sinus videmus, ex carnis corrosione, quæ facit velut crepidinum et sinuum quorumdam apparentiam. Hinc ad perfectam sanationem designandam, auctor ait : *Nulla lepræ crepido, nullus sinus in facie Simonis superest, hospes incolumis curatori suo hilarem exhibet famulatum*, etc.

Digitized by Google

crimina, imo non pœna sed gratia. Prœmittitur igitur in paradisum hic nostræ nuntius absolutionis, et primitias libertatis nostræ testis libertate donatus, paradisi civibus id exspectantibus et desiderantibus, primus invexit.

TRACTATUS TERTIUS.

De verbo illo Domini : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX.)

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? (*Psal.* LXXXVIII.) Quid differs? Jam venit hora : mater tua coram te est, et Joannes quem diligis. Latroni loqueris, et matri non loqueris? Intuetur te illa in mulieribus benedicta, et confixis in te oculis, vulnera tua materna pietate considerat. Et, licet non ignoret quid boni conferat mundo passio tua, tamen parentis affectu commoritur, et pectus maternum immanitate doloris arctatur. Suspirat intrinsecus, et erumpentes revocat lacrymas, et eo amplius anxietas intumescit, quo prohibetur egredi, et per luctus lamentaque dissolvi. Emergebant quidem aliquando gemitus, sed increpati reprimebantur, revertebanturque in sinum mentis, de quo prodibant, et collidebant se ad invicem introrsus : eratque in anima illa tempestas valida (24), occurrentibus sibi procellis, et quasi in sartagine frixis medullis ebulliebant amaritudines, quas excoquebat et coagulabat exacerbatio perseverans. Imperabat quippe dolori silentium formido (25), et ringentium Judæorum torvi in eam oculi illos turbines suffocabant. Verum illa tantarum procellarum salsuginem cibebat. Et (quod difficillimum erat) moriebatur, et mori non poterat; et clauso tanti doloris tormento intrinsecus, alium vultum palam exhibebat; nec poterat ex facie colligi crux illa animæ et patibulum spiritus, in quo erat hostia viva, beneplacens Deo et medullatum holocaustum : quod cum ipsa incenderet, tantum conscientiæ ministerio utebatur ipsaque sine strepitu seipsam mactans, in altario interiori, et ligna et flammas et latices congerebat (26). Nimirum in tabernaculo illo duo videres altaria (27), aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi. Christus carnem, Maria immolabat animam. Optabat quidem ipsa, ad sanguinem animæ et carnis suæ addere sanguinem, et elevatis in cruce manibus celebrare cum filio sacrificium vespertinum, et cum Domino Jesu corporali morte redemptionis nostræ consummare mysterium; sed hoc solius summi sacerdotis privilegium erat, ut de sanguine munus intra sancta inferret; nec poterat ei consors hæc esse cum aliquo dignitas, et in reparatione hominis nulli angelo, nulli homini cum eo fuit, aut esse potuit communis auctoritas. Cooperabatur tamen plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum ille matris affectus (28),

(24) Comparationem facit quasi poeticam, fluctuum maris intumescentium seque collidentium et adinvicem confringentium, ad internos illos dolorum affectus qui erant in anima Mariæ, cum juxta crucem suo astaret unigenito filio.

(25) Non ita hoc accipiendum est, quasi carnali vanoque timore mater Domini Judæos timuerit, ne videlicet aliquid ab ipsis pateretur nocumenti, si internum dolorem foris ostenderet, sed quia honestas et constantia vetabat gestus externos coram illis improbis ostendere, ne illi amplius gloriarentur et sævirent adversus filium, si matrem vidissent ita in illius affligi tormentis; item, ne spectatoribus occasionem daret suspicandi quod coactionis et non voluntatis esset filii passio.

(26) Describit oblationem holocausti interni et spiritualis, secundum comparationem ad oblationem holocausti corporalis, quod in exteriori altario offertur, ubi opus est lignis et flamma et laticibus, id est aquis, quæ a latendo vocantur latices. Aquas autem adjungit, vel quia prius lavari debebant hostiæ corporales, quam offerrentur aut incenderentur, vel quia ad Eliæ sacrificium illud in monte Carmeli oblatum respexit, ubi aqua copiosa perfusum fuit holocaustum, antequam cremaretur incendio (*III Reg.* XVIII).

(27) In veteri tabernaculo duo altaria erant : alterum quod hostiis immolandis deputabatur, quod erat ære opertum, et omnia vasa ministerii habebat ærea, de quo legimus, *Exodi* XXVII; alterum erat altare thymiamatis sive incensi, vestitum auro purissimo, situm coram propitiatorio, super quo summus sacerdos Aaron incensum suave fragrans mane et vespere ex Domini præcepto adolere debuit. Super cujus etiam cornua, semel in anno sacerdos summus debuit in sanguine oblato pro peccato deprecari et placare Dominum, quemadmodum legimus *Exodi* XXX. In his duobus altaribus auctor figuram accipit matris et filii. Matrem comparat priori illi altari, in quo offerebantur quidem hostiæ, sed non sacrificium vespertinum neque expiationis illius generalis hostia, quoniam, licet mater in corde seipsam immolaverit, non tamen sacrificium consummationis et expiationis peccatorum mundi ipsa offerre potuit. Filium vero *altare* facit esse *thymiamatis sive incensi*, quoniam in ipso immolatum est sacrificium vespertinum, in temporis plenitudine, quod erat consummatio sacrificiorum omnium præcedentium; et in ipso facta est expiatio generalis peccatorum mundi, in sanguine oblato pro peccato. Hanc comparationem indicat auctor, dum subsequenter ait : *Optabat quidem et ipsa* (nempe mater) *ad sanguinem animæ addere sanguinem carnis, id est, sicut spiritu, ita et corpore immolari, et cum filio celebrare sacrificium vespertinum*, etc. Quæ verba profundius considerata, magnam habent devotionis dulcedinem.

(28) Videtur hic causam reddere quare matrem Mariam comparaverit altario priori hostiarum, non posteriori thymiamatis. Quemadmodum enim in illo priori per quotidianas hostias, quæ in eo offerebantur, Deus colebatur, et licet non offerretur in eo præcipuum et potissimum sacrificium thymiamatis. Matutinum et vespertinum, aut etiam sanguis ille

Digitized by Google

cum tam propria quam matris vota charitas Christi perferret ad Patrem, cum quod mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret. Diligebat Pater Filium, et Filius Patrem; mater vero post utrumque ardebat, unumque erat quod diversa exhibeant officia, quod Pater bonus, quod Filius pius, quod mater sancta intendebat, quod in commune elaborabat dilectio, simulque se complectebantur pietas, et charitas et bonitas, matre supplicante, Filio interpellante, Patre propitiante. Filius ad pectus matris et ubera, Pater ad Filii crucem et vulnera respiciebat. Et quid inter hæc tanta pignora non moverent? quid illa sanctitatis schola nisi pietatem doceret? quid nisi misericordiam informaret? Dilectio et sanctitas et bonitas nihil sibi contrarium sapere poterant, nec reluctari sibi nec adversari concordiæ congruebat, et omnino decebat ut supplicatio et sanctificatio et exauditio in negotio rectitudinis convenirent. Jesus ergo ut per omnia pietatis fœdera commendaret, antiquum decretum quod de honorandis parentibus dictaverat, observavit; et matrem adhuc volens sic esse, ad consolationem apostolorum reservavit superstitem, ut ex his quæ ipsa ab initio audierat et viderat, et contulerat in corde suo, senatus apostolicus doceretur, et evangelica firmaretur doctrina. Honoratur etiam affatu familiarissimo, et licet brevis fuerit sermo, intimatus tamen est debitus affectus, et expressa singularis dilectio. *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus.* Præsens erat Joannes, cui et dicitur: *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX). Non est passus Christus, ut Judaica rabies in sanctuarium suum profanam mitteret manum, vel aliqua infestatione violaretur illud templum Spiritus sancti. Positus est fidelis ædituus ad tanti thesauri custodiam. Discipulus qui in cœna Dominica cervical sibi in pectore magistri aptaverat (*Joan.* XIII), ecce iterum alio privilegio honoratur; et post illud reclinatorium in quo viderat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I), officina illa in qua *Verbum caro factum est* (*ibid.*), diligenter a filio ei commendatur, probato dilectoque discipulo pudor virgineus, matris thalamus, et sanctimoniæ integritas assignatur, ut testis esset idoneus, virgo Virgini, fidei cubicularius matri Domini sui, minister devotus pro reverentia Magistri. Vices filii naturalis, filius accipit adoptivus, et transfunditur in ministrum filialis affectus, formaturque et firmatur in ambobus pietatis unicæ gratus concorsque complexus, non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ.

Unum igitur contubernium Joannis et Mariæ virginitas accipit; et unius moris in domo, unum integritatis propositum, unam habitationem meretur communemque convictum. Ecce, Joannes, piæ hæreditatis suscipis testamentum, eligeris, et in hoc præponeris omnibus. Joseph qui eatenus ministraverat, te subrogato, cedit; nec maritalia jura opponit (29), ut obstruatur os loquentium iniqua in posterum, quia matrimonium illud dispensationi divinæ, non copulæ carnali servierat. Ideoque nec Joseph, cum Joannes eam suscipit in parentem, queritur de disjuncto connubio, quod dispensatorium fuerat sine ullo carnalis copulæ commercio. Hoc testimonium integritatis matris Christus in fine perhibuit, ut haberet Ecclesia sancta ex Evangelio lapidem, quem Bonosi Helvidiique hæreticorum impudenti fronti infigerent (30), qui in matris illibatæ virginitatem ausi sunt impia blasphemaque garrire. Tu igitur, Joannes sancte, ad hoc eligeris, ut ministres et obsequaris, ea dilectione qua Filius, ea obedientia qua discipulus, ea subjectione qua minister et famulus. Petro commendatur Ecclesia (*Matth.* XVI), tibi Maria (*Joan.* XIX); illi tumultuosa negotia, tibi pacifica et quieta; illi atria et vestibulum et altaria sanguinum, tibi commendatur altare incensi, et Sancta sanctorum (31). Ad culmen ministerii tui nullus tecum admittitur; solus illi assistis propitiatorio, solus illud vas aureum

expiationis generalis, secundum modum tamen aliquem illæ hostiæ operabantur ad placandum Deum, quasi in respectu et virtute sacrificii illius acceptissimi et expiationis generalis, quæ perficiebantur in altari altero thymiamatis: sic dicit, matris affectum secundum suum modum fuisse plurimum cooperatum ad propitiandum Deum; charitate Christi, quæ in ipsius corde quasi thymiama suavissimum flagrabat, matris vota simul cum suis perferente ad Patrem, quemadmodum incensio thymiamatis, quæ erat præcipuum sacrificium, cæterarum quoque hostiarum oblationem ante Deum quodammodo faciebat acceptam.

(29) Plerique arbitrantur Joseph ante tempus passionis Christi e vita excessisse. Auctor vero in præsenti loco se indicat alterius fuisse sententiæ, quam etiam plenius in Encomio Virginis exprimit his verbis: *Supererat Joseph, ad quem usque ad illud tempus præcipua obsequii spectaverat ratio, et cui ad hoc ipsum fuit desponsata; et modo quasi hoc ministerio censeatur indignus, Joannes assumitur.*

Et aliis compluribus verbis eamdem hanc sententiam inibi prosequitur. De hac tamen re ex Scripturarum auctoritate nihil potest definiri, cum super obitu Joseph aut obitus tempore nihil ulla tradat Scriptura canonica.

(30) Alludit ad historiam David, qui blasphemum Goliath impia garrientem adversus castra Dei, lapide limpidissimo ex torrente, ut Scriptura refert, desumpto, in fronte illum percutiens interfecit (*I Reg.* XVII). Omnis enim hæreticus in Ecclesia quasi Goliath est, quasi gigas superbiens in fortitudine sapientiæ aut scientiæ suæ, et exprobrans Israelitis veris, castris Domini, id est orthodoxis in unitate Ecclesiæ, quæ est domus et castra Dei, permanentibus. David vero quilibet est fortis rectæ fidei propugnator, qui lapidibus de torrente limpidissimo, id est auctoritatibus ex Evangelio lucidissimo atque mundissimo assumptis, Goliath prosternit, id est hæreticum revincit et confundit.

(31) Vetus illud tabernaculum Israelitarum divisum erat in duas partes. Prior pars simpliciter Sancta dicebatur, et minora continebat: ad quam quotidie erat ingressus sacerdotibus, etiam non summis, sacrificiorum officia, ut ait Paulus, consummantibus (*Hebr.* IX). Posterior secundum excellentiam dicebatur Sancta sanctorum, in qua erant aureum thuribulum, arca testamenti, urna aurea habens manna et tabulæ testamenti. Volens ergo signifi-

Digitized by Google

continens manna, illud divinæ legis scrinium pontifex destinatus observas. Loco Filii positus es, et ut vicem in matre suppleas, ordinaris; nec abnuit te mater sancta vicarium, licet longe imparem et inferioris tituli, tamen quia sic visum est Filio, amplectitur successorem. Certe piscator fueras, et in hac arte a parentibus institutus, nullum te stratagema inclytum facit (32); sed qui infirma mundi elegit ut fortia confundat (*I Cor.* I), in assumptione tua, paupertatis et humilitatis et castitatis gloriam commendavit, fundatamque charitatem et illustris animæ puritatem, hoc singulari titulo honoravit. Intueor igitur quadrigam qua currendum est ad Patrem (33), sic debere distingui, ut per te ad matrem, per matrem ad Filium, per Filium vero attingere possit pœnitentis affectus ad Patrem. Et in hoc ferculo quod nos ab hoc sæculo evehit, tu sis columna argentea, mater ascensus purpureus, Filius media charitas, reclinatorium aureum visio Patris in decore suo, et æternæ pacis jocunda tranquillitas. Hanc interim gloriam proprie virginitas promeretur. Per hanc in hunc gradum discipulus sublimatur, per hanc ipsa mater et Virgo placuerat Deo, *et obumbrante virtute Altissimi* (*Luc.* I), in illo beatifico utero, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I), per hanc fuerat Gabriel archangelus Mariæ domesticus, imo tota militiæ cœlestis multitudo et naturæ angelicæ gloria (admirans quod sic integram in terris reperisset) circumfuso undique cognato cælibatui exhibebat reverentiam (34), et divino incolatui clientelam; proprie tamen Gabriel et Joannes huic assignati officio communibus studiis ministrabant, simulque ab ambobus tam in cœlo quam in terra divina et humana consolatio procurabatur, Joanne, juxta quod res postulabat, providente subsidium, archangelo, pia vota perferente ad Filium. Factum est igitur ut Dominus imperaverat, et cohabitabant simul in bono jocundoque conventu virginitas et humilitas, dilectio et puritas, subjectio et charitas : et erat unanimitatis participatio in idipsum, inter dominam et ministrum, sicut Magistri ordinarat auctoritas. Bonus itaque Dominus, bono fine consummans pietatis mysterium, in cruce justificat impium, et debitum matri reddit affectum. Addit quoque et tradit exemplum quod ad conservanda quæ sancta sunt, debeat eligi sanctitudo; nec sacramentorum arcana impuris sint exponenda conspectibus, nec possit digne sacris ministrare mysteriis, nisi qui in schola studuerit continentiæ conversari. Decet enim ut qui mundandis vel mundis officium exhibeat, omnimoda splendeat sanctitate, quia omnino huic formæ contrarium est ut contrectet incorrupta corruptus, et purificatoriis muneribus manum apponat impurus. Quod non ideo dicimus, quod in his qui jam abluti sunt et sanctificati de quantiscunque naufragiis evaserint, aliqua post indulgentiam nota permaneat (35), quia nisi ad antiqua revertatur contagia, nulli prior præjudicat vita.

TRACTATUS QUARTUS.

De verbo illo Christi in cruce : *Sitio* (*Joan.* XIX).

Ecce iterum mysteria, et ad invicem sibi sacramenta divina occurrunt. Responsum erat de cruce latroni, et matri; et ad confirmationem spei pietatisque exemplum, latro in regnum præmittitur, ma-

care quod Joanni sit commissum id quod est in Ecclesiæ tabernaculo post Deum dignissimum, dicit ipsi esse commissum altare incensi quod erat coram propitiatorio, eratque altare præcipuum, ut supra dictum est, et sancta sanctorum : Joannem faciens pontificem, cui soli erat commissa cura sancti sanctorum, Mariam vero comparans cum iis quæ in sanctis continebantur, appellans ipsam urnam auream continentem manna, propitiatorium sive arcam sanctam, et divinæ legis scrinium, sive testamenti tabulas. Quorum omnium rationes quilibet per se facile agnoscit.

(32) Græcum vocabulum est στρατήγημα, per duo e longa, quod Latine per unum ascribunt, *stratagema*, significans gestum militare, egregiamque et insignem in re bellica actionem, vel simile consilium. Ostendit autem hoc in loco nihil nobilitatis fuisse Joanni, quoniam quidem nec a parentibus illam traxisset per originem, nec ab industria aut fortitudine nobilitatem sibi ullo nobili opere comparasset, ut solent nonnulli in infima sorte nati, præclaris in re bellica actionibus eam quam ex nativitate non habent, per virtutem sibi comparare nobilitatem.

(33) Quadrigam appellat connexionem quatuor, a quorum alio semper ad aliud recto ordine pergitur. Hæc sunt : Joannes discipulus, Maria mater, Jesus filius, Pater Deus. Ad quam quadrigam etiam illud auctor accommodat, quod in Canticis Salomonis legimus : *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constravit propter filias Jerusalem* (*Cant.* III). Ferculum hoc appellat quadrigam istam, qua sursum fertur affectus fidelium. In hoc ferculo Joannem facit columnam argenteam, matrem ascensum purpureum, filium charitatem mediam, aureum denique reclinatorium, visionem paternam. Quorum rationes devotus animus seipsum facile poterit advertere.

(34) Est angelis, ut super Lucam ait beatus Ambrosius, semper cognata virginitas, quoniam qui cœlibes vivunt, hac in parte similes sunt angelis, et in terris vitam ducunt angelicam, qui generationem et generationis actum penitus ignorant.

(35) Cave ne intelligas post peccata dimissa nullum posse reatum in homine permanere, quasi

Digitized by Google

ter interim ob rerum mysterium reservatur. Iis pie A vid prædixerat, irruentibus in se universis (36), provideque dispositis, Christus inter supplicia sitit. Exhaustum erat sacrum pectus sudore sanguineo, et lignum illud, cui affixus erat, sanctis bajulaverat humeris, et ut solet ex mœstitia somnus nonnullis obrepere, sic poterat sitis illa accendi. Forsitan sic erat. Ego vero sacramentalem hanc sitim intelligo, in qua non tam desideratur potus, quam hominum salus. Neque enim ab irrisoribus et interfectoribus poterat beneficium exspectari, qui omnes ad impietatem proni, paratiores erant augere injurias quam misereri vel compati. Perseverabant adhuc, nec flagellis, nec sputis, nec colaphis poterant saturari. Unde nec consequens videtur ut audita sitis eorum cor immoliret, quibus parum erat quod in cruce pendebat, nec satis actum esse ipsa morte malignantibus videbatur. Christus tamen, sicut per Da-

tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ (*Psal.* LXI), currit et sitit. Sitit conversionem, currit ad remissionem, exsolvit quod non rapuit. Et licet illi pretium illud magnum cogitarent repellere, jam absorpto serpente festinat ad lavacrum inimicorum (37), et moritur pro impiis, et rebelles adoptat, et tanti effectus beneficii largitur ingratis. Hoc etiam in titulo psalmi XXXIII continetur, ubi affectare David in persona Christi prædicitur (38), cum coram Abimelech (39) vultum suum mutasse perhibetur. Affectabat David, et tympanizabat ad ostia civitatis, et ferebatur manibus suis, et in barbam ejus defluebant salivæ (*I Reg.* XXI). Affectante quippe Christo, et hoc sitiente, ut mansuesceret domus exasperans, B et duræ cervicis populus molliretur, exhaustoque pœnitentiæ antidoto, felleas viscosasque peccati fæ-

culpa dimissa consequatur statim et pœnam omnem esse ablatam. Id enim catholico dogmati et orthodoxorum Patrum determinationi est contrarium. Sed hoc tantum vult auctor, propter peccata prius commissa et per pœnitentiam jam deleta, neminem debere immundum reputari, aut a sacris arceri. Id enim sibi vult quod in fine dicitur : *Nisi ad antiqua revertatur contagia, nulli prior præjudicat vita.*

(36) Respicit auctor ad psal. LXI, ubi sic legimus : *Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ? Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti.* Quem passum in persona Christi exponens sanctus pater Augustinus, ita ait : « *Retribuebant mala pro bonis* (*Psal.* XXXIV). Illi interficiebant, illi repellebant, et ego illos sitiebam. Illi honorem meum cogitaverunt repellere, ego eos in corpus meum sitiebam trajicere. Bibendo enim quid facimus, nisi humorem foris positum in membra nostra mittimus, in corpus ducimus nostrum? » Et quibusdam interpositis, subjungit : « Hoc usque in finem sitit Christus, currit et sitit. Multos enim bibit, sed nunquam erit sine siti. Inde est enim : « *Sitio, mulier, da mihi bibere* (*Joan.* IV). » Samaritana illa ad puteum sitientem Dominum sensit, et a sitiente satiata est. Sensit prior illa sitientem, ut biberet ille credentem. Et in cruce positus *Sitio* dixit (*Joan.* XIX), quamvis illi non hoc dederint quod sitiebat. Ipsos enim ille sitiebat; at illi acetum dederunt, non vinum novum quo implentur utres novi, sed vinum vetus et male vetus. » Hactenus Augustini verba : quæ ideo sic prolixe recitavimus, quoniam proposito plurimum videbantur convenientia.

(37) Beatus Augustinus tractans illud psalmi quadragesimi primi : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, cervorum conditiones aliquot enarrans, inter cæteras hanc notat, quod cum serpentibus pugnent, serpentesque perimant, ac post serpentium interemptionem majori siti inardescant, propter quod, peremptis serpentibus, acrius celeriusque ad fontes recurrunt. Hanc cervorum proprietatem auctor respicions, Christum comparat cervo, qui quoniam in cruce cum serpente diabolo pugnavit eumque jam absorpsit et devicit, proximus consummationi victoriæ, ad lavacrum festinat, dum clamat : *Sitio*. Ad lavacrum autem inimicorum Christus sitit, quoniam increduli et peccatores, inimici Christi, ipsi erant lavacrum Christi, in quo refrigerari post labores quærebat : ipsi erant fons et aqua unde quærebat ille bibere serpente devicto.

(38) Locus iste multam videtur obscuritatem continere, maxime si nostri textus verba consideremus. Nam in titulo psalmi trigesimi tertii, de affectatione ista et tympanizatione David nihil legimus, neque quod ferebatur in manibus suis. Hic enim est titulus : *Psalmus David, quando mutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.* In ipsa quoque lib. *Regum* historia, ubi prolixius hujus rei gestæ ponitur narratio, secundum tenorem textus nostri Latini, quem ex Hebræo vertit Hieronymus, nihil de affectatione dicitur, neque quod ferebatur in manibus suis. Sic enim primi *Regum* XXI legimus : *Immutavit David os suum coram Achis, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat ad ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam.* Sciendum est ergo omnia quæ hic dicuntur, secundum antiquam editionem tractari et applicari, quæ, immutatis quibusdam, jam citatum ex *Regum* libro locum ita legit : *Timuit David, et mutavit vultum suum, et affectabat, et tympanizabat ad ostia civitatis, et ferebatur in manibus suis, et procidebat ad ostia portæ, et salivæ decurrebant super barbam ejus.* Atque in hæc verba narrat expresse beatus Augustinus prædictam historiam, in tractatu super psalmum trigesimum tertium, in expositione tituli, ubi prolixe singula quæ hic dicuntur, prosequitur, et declarat plenissime. Ad quem locum te, bone lector, remitto, ut ipse dulcissime super his rebus concionantem audias mellifluum Augustinum, a cujus melleo ore hæc omnia noster auctor desumpsisse videtur, et tu, si volueris, plenam eorum accipere poteris intelligentiam. Quod si prolixam tituli expositionem vel pigebit, vel non vacabit perlegere, saltem epilogum, quem statim ante psalmi enarrationem velut recapitulando præmittit, D diligenter lege : in quo paucis, quidquid ad hanc comparationem attinet, invenies. Nonnulla quoque apud beatum Eucherium Lugdunensem diligens lector ad idem propositum invenire poterit, in commentariis super primo libro *Regum* cap. XXIV, et item apud Rupertum abbatem Tuitiensem, libro secundo Commentariorum in libros *Regum*, cap. VIII.

(39) Abimelech valet *patris mei rex* vel *patris mei regnum*, quod apte Judæis applicatur, qui fuerunt regnum Dei Patris, et ad regnum specialiter fuerant electi ex promissionibus factis patribus. Achis vero Augustinus interpretatur *quomodo est.* Quoniam vero qui ita interrogat in re fidei, ignorans et errans est; dubitantis enim, errantis et ignorantis est sic quærere. Ob hoc subsequenter dicitur : *Hic Achis, id est ignorans, hic est ex parte populus ille, qui non credit nec intelligit.* Utrumque enim nomen Judæis applicat auctor, appellans eos Abimelech et Achis.

Digitized by Google

ces evomerent, visa sunt eis hujus doctrinæ verba omni ratione carentia, et dementiæ ascribebant quod eos ad carnis suæ edulium invitabat. Horrebant potum sanguinis, et carnem humanam ut cibum insolitum, mensis suis inferre, impium et nefarium judicabant (*Joan.* VI). Durus erat sermo hujusmodi, quia sensu carnis oppressi, spiritum et vitam in verbis veracibus contemnebant. Hoc intimabant illæ per barbam David fluentes salivæ, quod infantilia hæc verba et frivola æstimarent Judæi, et contemnenda essent a profanis sacramenta Dominica, et quasi arreptitii et furibundi reputandi essent horum dogmatum discipuli, et intellectualium mysteriorum ministri. Sed Christus diffinitiones patientiæ edocens, nec irascitur, nec ulciscitur, sed sustinet et præstolatur, et affectat, ut illuminetur populi cæcitas, ut convalescat et insurgat infidelitatis mole suffocata illa tyrannica et effrenis obstinatio, tandemque pateat veritas et redeat ab errore conversa impietas.

Tympanizat ergo ad ostia clausa, ad aures oppilatas, et incredulis cordibus intonat; et extensa in cruce pelle corporis sui, in psalterio decachordo, Veteris et Novi Instrumenti concutit consonantiam, et quasi incantatis serpentibus ad insolitam harmoniam reddit edomitos, et detractores facit cantores, et impios modulatores. Mutatur omnino facies Christi in specie sacramentorum, coram Abimelech, id est coram Judæis, qui ad regnum Dei Christi ex promissionibus factis ad patres, pertinere videbantur. Ilic Achis, id est *ignorans*, hic est ex parte populus ille, qui non credit nec intelligit. Porrigit quidem discipulis suis, imo toti Ecclesiæ propriis manibus eucharistiam, quasi seipsum ferens, quam qui digne accipit, vivit; nec immerito proscribitur qui contemnit; et aliis quidem tantæ rei mysterium odor est vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (*II Cor.* II). Unde et Achis David dimittit, quia quibusdam ex Judæis repellentibus verbum hoc et indignos se vitæ æternæ judicantibus doctrinam hujusmodi Christus ad gentes convertit (*Act.* XIII). Abimelech et Achis non sunt unius personæ nomina (40), sed quia unius mysterii continent rationem, non incongrue diversis respectibus uni personæ aptantur. Ex parte, Achis, id est ignorantia et error, adhuc in eodem populo perseverat; et qui filii regni videbantur, contempto affectu charitatis Christi, et tympano crucis, quasi David a se dimittunt, ut eat, cum dicunt Christo : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (*Job* XXI). Maledicunt adhuc Judæi Christo, et veri Elisei derident calvariam (41) (*IV Reg.* I); necdum tamen ursis, id est dæmonibus, derisores exponit; sed in multa patientia exspectat pœnitentiam, et differt, nec infert pro meritis iram. Sed perversa et aversa mens carnalium, sitis hujus non intelligens sacramentum, sancto ori amaritudinem applicat in calamo, et fonti misericordiæ venena propinat. Non tangit, Judæe, Christus poculum tuum, non gustat acetum, de suburbanis Gomorrhæ et vinea Sodomorum (*Deut.* XXXII). Fons ille, de quo aquæ vivæ emanant, cujus rivi in æternitatem prosiliunt (*Joan.* IV), non exaruit, neque ut a te impleatur affectat. Hoc potius ille fons sitit irriguus, ut ex eo affatim haurias, illaque repleatis dulcedine, ut puri te refrigerent latices, et ardentium in te libidinum exstinguant carbones. Hoc sitit, ut virens in te charitas perseveret, ut sicut palma in sublime comam spei attollas, et sicut cedrus Libani imputribilis vivas (42) (*Psal.* XCI). Pincernas veneficos sitis ista discernit, et propinatores amaritudinis horret et abjicit. Nullis passionum ardoribus fons iste siccatur, nullis pressuris charitas exhauritur. Etiam ubi percutis et irrides, ubi fel porrigis, non commutat se dulcedo in amaritudinem, nec exigit charitas ultionem. Sanguis et aqua de latere exeunt vulnerato (*Joan.* XIX); aqua in lavacrum, et sanguis in mortis exemplum.

Charitati igitur Christi quæ esurit et sitit justitiam nostram (*Matth.* V), testimoninm perhibet in cœlo Trinitas (*I Joan.* V) : ipse Filius qui justificat, Spiritus qui sanctificat, Pater qui glorificat, quia et justitia, et sanctitas, et claritas nostra desursum est, et testimonium Dei (quod majus est hominis) hæc in nobis dona sua commendat, et informat, et confirmat. Nihilominus in terra, per visibilia et corporalia sacramenta, quod intus invisibiliter agitur, commendatur extrinsecus, et attestantur fidei Christianæ spiritus, aqua et sanguis (*ibid.*); quæ tria unum sunt, et individua manent, nihilque eorum a sui connexione sejungitur, quia catholica Ecclesia hac fide vivit et proficit, ut jam nec sine

(40) In commentariis libri *Psalmorum*, super hac re nonnihil diximus in annotationibus ex Hebræo super titulo psalmi XXXIII, quod scilicet Achis nomen erat proprium personæ regis. Abimelech vero, nomen commune regibus Palæstinæ, quemadmodum reges Ægypti communi nomine Pharaones vocabantur. Et secundum hoc intelligi debet quod hic dicitur Abimelech et Achis non esse unius personæ nomina, quia non utrumque uni personæ est peculiare, sed alterum quasi commune est, alterum peculiare et personale.

(41) Historia manifesta est *IV* lib. *Reg.* cap. II, ubi legimus pueros illusisse Eliseo transeunti, dicentes : *Ascende, calve, ascende, calve :* atque ob hoc, ab ursis de silva exeuntibus fuisse devoratos. In qua figura, Eliseus Christi typum gerit, quem erant irrisuri Judæi, eranique ejus calvariam vel calvitium irrisuri, quoniam in monte Calvariæ ipsum erant afflicturi et interfecturi. Tunc enim dixerunt pueri Eliseo : *Ascende, calve, ascende, calve,* quando dixerunt Judæi Christo in monte Calvariæ in ligno pendenti : *Si Filius Dei es, descende de cruce,* et cætera hujusmodi. Ursis autem tradentur, licet ad præsens differatur ultio, quoniam tandem esca erunt dæmonum.

(42) Alludit ad illud psalmi : *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur* (*Psal.* LXI). Ac si dicat : Sitit Christus, suo humore et virore talem te facere qualis a Psalmista describitur, dicente : *Justus*, etc.

Digitized by Google

vera divinitate humanitas, nec sine vera humanitate credatur divinitas. Nec sufficere nobis posset ad intellectum veritatis, testimonium quod de cœlo est, quod sibi ipsi perhibet Trinitas, nisi et nobis innotesceret aliquibus signis et aliquibus argumentis, fidei veritas. Sunt itaque hæc tria, spiritus sanctificationis, sanguis redemptionis, aqua purificationis. Non redimit sanguis, nisi quos gratia vocat et levat; nec nisi ablutos et mortuos peccato spiritus sanctificat. In commune participant redemptio, et ablutio et sanctificatio. Alterum sine altero esse non potest : quodque agitur, unum est, non multiplex. Spiritus namque sanctus superfertur mysteriis, interest sacramentis, quorum rationem aqua mundans significat, quæ illius rei continet signum, cui et sanguis Christi et spiritus Dei præbet effectum (43). In aqua mundamur, in sanguine informamur. Mirum dictu! tremendum relatu! Profluentibus de sacro latere aquis viventibus et emanantibus de fonte uberi largis liquoribus, Christus sitire se perhibet; et ipse mundum irrigans et fecundans, de ariditate causatur. Omnino sane sitis illa exprimit raros tunc exstitisse qui crederent, cum ipsi et laterent et dubitarent illa hora apostoli, et adhuc non illabebatur sanguis et aqua in corda discipulorum radicitus, nec immaduerant ebrietate spiritus, quorum animas timor et dubietas siccaverant.

Te sitit Christus, o Petre, revertere, et dic libere : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* v). Revertere et confide, et cum frater tuus in aliquo delicto præoccupatus fuerit, tu, *qui spiritualis es, judica in spiritu lenitatis* (*Gal.* vi). Et tu tentatus es aliquando, et ad unius vocem ancillæ a propósito excidisti (*Matth.* xxvi). Verum sanguis Magistri hunc reatum aspersit, manet tibi eadem gratia, non privaris apostolatu, manent tibi claves tuæ, et eadem excellentiæ tuæ dignitas perseverat. Exsurge, et bibe de fonte misericordiæ; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos (*Luc.* xxii); et in eadem mensura, qua propinatum est tibi, remetire eis (*Matth.* vii); et ad formam tuam, *qui stat, videat ne cadat* (*I Cor.* x), *et qui ceciderit, adjiciat ut resurgat* (*Psal.* xl). Etiam te, Judæe parricida, Christi charitas sitit. Muta intentionem, replica orationem. Dixisti : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* xxvii). Bonum est quod dicis, si recte intenderis. Sit super te sanguis ejus, et consepelire ei per baptismum in mortem (*Rom.* vi). Opta salvari, non damnari; bibe et tu nobiscum, de calice passionis illius. Non est hoc horroris, sed poculum pietatis. Liminare frontis tuæ lini hoc sanguine; et præter te angelus percutiens, nec tanget primogenita tua, sed attrita Ægypto, evades illæsus (*Exod.* xii).

TRACTATUS QUINTUS.

De verbo illo Domini in cruce : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii).

Oculum pro oculo, dentem pro dente evelli lex præcipit (*Exod.* xxi; *Matth.* v). Nemini parcit Moyses, omnes injurias suas persequitur et ulciscitur, et absque ulla miseratione, decretorum ejus contemptor occiditur. Tempore gratiæ temperantur edicta, et evangelica mansuetudo a populo acquisitionis iram et convicium et contemptum excludit (44), nec raca (*Matth.* v) fratri dici aut fatue (*ibid.*), vel etiam irasci magistri nostri disciplina permittit.

Ipse quoque qui judex est omnium, cujus est vindicta (*Rom.* xii; *Deut.* xxxii), nequaquam per singulos dies irascitur (*Psal.* vii), et gladium in vaginam revocari præcipiens, percutientes in gladio, gladio perituros denuntiat (*Matth.* xxvi). Ipse scisso dorso verberibus, vellicatis genis, facie sputis illita, puncto capite vepribus, latere saucio, terebratis palmis, pedibus confossis, tanquam agnus jugulatori suo alludens, carnem suam non reluctans

(43) Aqua significat purificationem et emundationem ab omni macula. Hanc tamen aqua ex sua virtute non efficit, sed conditionis suæ proprietate tantum significat. Spiritus vero Dei et sanguis Christi illam purificationem effective operantur. Quod autem subsequenter auctor adjungit, dicens : *In aqua mundamur, in sanguine informamur*, quantum ad partem posteriorem hoc sibi vult, quod oporteat nos Christo commori et concrucifigi, et quasi sanguinem nostrum effundere, sicut ille pro nobis sanguinem fudit et mori voluit, quomodo in passione et in morte Christi dicimur informari, videlicet ad commoriendum et compatiendum; in sepultura, ad consepeliendum, et in resurrectione, ad conresurgendum, ut ait Apostolus (*Rom.* vi). Idem etiam in sequenti tractatu clarius dicitur his verbis : *Sanguis ille nos purgavit Christo aspergente populum semel in sancta illatus, et nos similis introitus formam in proprio sanguine, crucifixis membris nostris, et abdicatis voluptatibus retinemus.*

(44) Populus Christianus a Petro apostolo populus acquisitionis nominatur, dicente : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, etc. (*I Petr.* ii.) Idcirco autem populus acquisitionis dicitur populus Christianus, quoniam Christus illum sibi acquisivit et emit pretio magno, nempe sanguine suo. In eo autem quod auctor adjungit : *Iram et convicium et contemptum excludit*, tribus verbis illis Domini sententiam exponit, qua prohibet non irasci, nec dici fratri raca nec fatue. In primo enim simplicem iram dicit prohiberi, in secundo convicium, in tertio contemptum.

Digitized by Google

explicuit, et nudum corpus, quasi incudem, malleatorum ictibus patienter supposuit. Poterat utique accitis multis millibus angelorum agere pro se (*Matth.* XXVI) et de tantis ludibriis erui, sed qui præceperat percussori sinistræ maxillæ porrigi dexteram, et auferenti pallium præberi et tunicam (*Matth.* V), seipsum intra regulas suas concludens, voluit, ut a capite patientiæ forma prodiret in membra, et in hoc æmulatio filiorum probaretur, si non se degeneres exhiberent. Igitur quid prius sitierit manifestat; et iterum conversus ad patrem orat ut hæc ignorantia populo dimittatur. *Pater*, inquit, *dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Quid est, Domine, quod dicis? Non accusas, non quæris vindictam, potius excusas, et conjurationis illius spissamentum (45) attenuas, et hæreditarium onus ab impiis transferens, crimen malitiæ non opponis, qui ideo dimittendum censes, quia admissum ignoranter ipse testaris. Ubi est illud quod dixeras prius: *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent? Nunc autem, et viderunt et oderunt, et me et Patrem meum* (*Joan.* XV). Viderunt quidem et oderunt; et quod de te scripserat Moyses, et antiqua conclamabant volumina, omni Sabbato decantabant. Intrasti synagogam et, sicut palam erat nequaquam ex commentario litteratus, librum Isaiæ explicas, et in auribus omnium legis: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad evangelizandum pauperibus misit me* (*Luc.* IV, *Isa.* LXI), et in adjutorio publico, in te impletum hujus Scripturæ vaticinium, protestaris. Quis ignorantiæ locus erat, cum, ipsis inquirentibus, quomodo litteras nosses quas non didiceras, hoc ipsum divinæ sapientiæ documentum esset, quod te, quem in scholis suis nunquam elementarium viderant, eruditum in lege probarent? Certe latere non poterat, sed in hoc te universitas mirabatur. Ex te sapis, ex te intelligis, disputas publice de lege cum scribis, et ex lege brutos hebetesque doctores convincis. Quis dubietatis locus, quæ ignorantiæ ratio esse potest, ubi cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, resurgunt mortui, pauperes evangelizantur? (*Matth.* XI; *Luc.* VII.) Sed, obstinatis animis et nolentibus intelligere ut bene agerent (*Psal.* XXXV), nec signa ipsa persuasoria erant, nec virtutes operariæ. In tantum in eorum pectore Christi indurverat odium, ut et bona quæ negare non poterant, non virtute Dei, sed præstigiis dæmonum fieri dicerent. Opera Christi Beelzebub ascribebant (*Matth.* IX, XII), et Spiritus sancti unctionem dæmoniis (46). Et tamen Christus *nescire eos quid agant* affirmat, ideoque pro errore eorum et cæcitate obnixe supplicat Patri. Sed habebat hæc ipsa postulatio ordinem, et necesse erat, in terra sterili et palustri et purgamenta creante pro frugibus (47) usque ad imum fidei fundamenta infigi, et ex profundis adytis primum submoveri sensus erroneos, ut firmam stabilemque domum sibi veritas aptaret et illustraret, fideique fundatum templum spes gloriæ pingeret. Nec tamen, licet tanti criminis molem mediatoris auctoritas elimaret, obstinatio illius infidelitatis ex se excusabilis erat; nec habebat quid opponeret destituta ratione mens, et animus ad vera prospicienda caligans, cui rectissima species veritatis, ad instar remi, qui in aqua demissus curvi præfractique similitudinem reddit (48), aliter intelligebatur quam erat; et cum esset præ oculis res ipsa, nullaque interjectio impediret, ex se in transversum intuens, strabus ludificabatur aspectus. Ideoque nec ratio, nec doctrina in culpa erant, quæ utique non decrant.

Sed dum multo impendio temporis supervacua quæruntur, malum inolitum in ipsis visceribus sedens, medicantem non admittebat manum. Ideoque quia se ægrotare nesciebant, sanitatis contemnebant subsidia. Neque aliquid ipsa luce oculis malignis erat infestius, demissisque palpebris et complosis in arctum, violenter sibi cæcitatem imprimebant (49), usque adeo in hoc malum voluntarii ut voluntas consuetudinem, et consuetudo faceret necessitatem; necessitas vero usque ad illam vecordiam erumperet, ut nescirent quid facerent. Hæc erat

(45) Pro *densitate spissum*.

(46) Ideo dicit Judæos ascripsisse dæmoniis unctionem Spiritus sancti, quia quæ operabatur Christus ex Spiritu sancto, quo unctus erat, hæc a dæmonio dicebant fieri.

(47) Purgamenta, id est spinas et tribulos et alia zizania multa, a quibus debet cum labore terra purgari ut fructum bonum proferat. Dicuntur enim purgamenta sordes aut alia supervacua, quæ purgando colligumtur et abjiciuntur. Quod autem sequitur: *Et de profundis adytis primum submoveri sensus erroneos*, per *y* legendum est, adytis. Est enim adytus secretior locus templi, ad quem solis sacerdotibus dabatur accessus; quemadmodum apud Virgilium dicitur:

..... Isque adytis hæc tristia dicta reportat.

(VIRGIL. *Æneid.* lib. II, vers 115.)

Græci ἄδυτον neutro genere dicunt. Vult ergo auctor, ex secretioribus Judaici cordis primum debuisse submoveri erroneum judicium. Quidam autem codices habebant *abditis* pro *adytis*.

(48) Comparationem facit sensus errantis cum intellectu errante. Decipitur sensus visus, in remo demisso in aquam; qui cum rectus sit et integer, aspicienti tamen oculo curvus et præfractus videtur, sic intellectus subinde aliter de re et veritate judicat quam ipsa se habeat. Et cum non sit defectus ex parte objecti, nostris oculis nostroque intellectui culpa ascribitur. Oculi enim strabi, non recte aspicientes, sed in transversum, sibi sunt deceptionis causa: sic mens sinistre ex se aspiciens et judicans seipsam fallit in suo judicio, non fallitur a veritate. Quod subsequenter de Judæis pulchre auctor declarat, dicens: *Ideoque nec ratio nec doctrina in culpa erant*, etc.

(49) Ita nonnunquam oblata re aliqua nostro conspectui, quam omnino videre noluimus, palpebras solemus demittere, easque violenter comprimere, ad claudendum oculos, et impediendum ne videatur quod est præsens. Sic faciebant Judæi, dum noluerunt intelligere ut bene agerent (*Psal.* XXXV), nec quidquam ipsis deesset nisi voluntas. Aderat enim signorum evidentia, et doctrinæ efficacia. In eo autem quod sequitur: *Ut voluntas consuetudinem face-*

Digitized by Google

illa animi crassitudo, quam Isaias populo Judæorum improperat, per quam in hanc hebetudinem venerant, ut videntes non viderent, et audientes non audirent (*Isa.* VI): quia exasperantes animos dignum erat in propriis sensibus confundi; et qui abutebantur justitiæ documentis, et veritatis radios abhorrebant, abdicati a naturæ et gratiæ luce, in cæcitate sua tabescerent et haberent intra se fumosas exhalationes, quæ totum candorem intellectuum et sensuum demigrarent. Legis quippe saliva quam ab antiquo imbiberant, ita eorum faucibus inviscata hærebat, et cæremoniarum veterum sapor palatum mentis perfidiæ ita infecerat, ut esset eis in Satan, quisquis a Moyse doceret discessum, et de occidente littera vivificantem spiritum hauriret. Unde et Moysen Christo præponentes, quasi in blasphemum linguas zelantes armabant: præferebant servum Domino, et discipulum magistro (*Joan.* VII, VIII). Nec negare poterant miracula; sed tanti ponderis odium erat, tantæ immanitatis invidia, ut Christi bene gesta vel dicta eis non saperent. Ad vesanas mentes nullus omnino veritati patebat accessus; et quæ palam erant, et nulla tergiversatione abscondi poterant, perverse, prout poterant, interpretabantur, et in defensione legis jam non tam rationibus quam conviciis utebantur. Ex ipsa quippe lege convincebantur, et propriis concludebantur dogmatibus: nec supererat aliquod prævaricatoribus effugium, nisi quod detrahebant et persequebantur violentia veritatem, unaque communis intentio omnium ad hoc conspiraverat, ut contumelia gloriam suffocarent, et mortis opprobrio pariter et nomen ejus delerent et famam. In hoc, omne consilium eorum volvebatur; et ad hanc definitionem omnia perfidiæ argumenta convenerant, ut sanctum et justum quia contrarius erat eorum operibus de medio tollerent (*Sap.* II); ac per hoc probarent nullum ei esse cum divina natura consortium, cum sicut cæteri homines mortalis et passibilis videretur. Hæc erat cæcitas, hæc ignorantia plebis erroneæ, quam dimitti Christi charitas postulat, beneficium præstans ingratis: quod utique et ibi ex parte completum est, et in fine perfecte complendum, quando intra hujus indulgentiæ sinum tota Israelitici populi massa concurret, cum gentium intraverit plenitudo (*Rom.* XI). Hoc sciens Jesus quod omnia dederat ei Pater in manus (*Joan.* XIII): cum dare posset quod petebat, et potestative hoc propria contineret auctoritas, supplicantis tamen pro tempore personam exhibuit, ut ex affectu charitas, et ex subjectione humilitas, et ex effectu immotesceret veritas, quod in tanti absolutione criminis nulla esset inter advocatum et judicem compugnantia voluntatum, sed una et concors esset in hoc negotio allegatio utriusque; quia nullus omnino severitati locus ibi esse poterat, ubi vulneratus Christus proprii mercedem sanguinis exigebat. Exauditur ergo pro sua reverentia (*Hebr.* II), nec tamen gratis accipit, sed ingens erogat pretium; ut commendetur his pro quibus res tanti ponderis agitur, quam desperata esset humani generis causa, quæ aliter componi non poterat nisi exsolveretur pro pace ejus tanti pretii quantitas, quod singulariter habebat apud se humilitas Christi et assumpta humanitas.

Convenerunt itaque justitia et pax, et osculum datum est (*Psal.* LXXXIV); et pro captivo suo vadem fidelem liberator se posuit; tantaque auctoritate firmatum est hujus indulgentiæ privilegium, ut in ipsius Christi crucifixi membrana proprio sanguine conscriptæ sint illius absolutionis litteræ, maneatque infixum usque hodie sigillum, plaga lateris, quam semper oculis Patris exhibet præsentia Salvatoris. Perennem igitur hujus gratiæ hæreditatem testator noster transmisit ad posteros, et originalis mali præcisa radice, licet recrudescat peccatum in multis, generalitas tamen in illa ita abrasa est, ut ad expiationem eorum quæ quotidie admittuntur, non iterum Christum crucifigi oporteat; sed unum confessionis ad omnia crimina sufficit lavacrum, et ad omnia flagitia una pœnitentiæ sufficit hostia. Unde illud crucis sacrificium factum est nobis et sanitas et exemplum, quia et proprie sanguis ille nos purgavit, Christo aspergente populum, semel in sancta illatus (*Hebr.* IX): et nos similis introitus formam in proprio sanguine (50), crucifixis membris nostris, et abdicatis voluptatibus, retinemus. Nec nos latitudinis crucis et altitudinis et longitudinis et profunditatis (*Ephes.* III) usquequaque mysteria intacta præterire convenit. Nam sua profunditate usque ad intima nostra penetrat hoc vexillum et cuspide præacuto rimatur interiora; et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus (*Hebr.* IV), ipsis infigitur affectibus, secretosque et abditos comprimit motus, et totius petulantiæ perforat appetitus. Hoc in profundo cordis crux agit abscondita. Intus compungit animam, subterque leviathan verme venenato hoc vecte transfixo, intrinseca nostra pacificat et conscientiam munit, et meditationes sanctificat. Et sicut lignum Moysi a Domino ostensum aquis Marath immersum omnem illarum amaritudinem in dulcedinem vertit (*Exod.* XV), ita sanctæ crucis virtus animo recondita, omnem tentationum salsuginem sua immersione contactuque indulcat. Jam vero longitudo, quæ a pedibus usque ad ligni trans-

ret, et consuetudo necessitatem, non simpliciter necessitatem accipe, sed quamdam necessitatem: quæ non est nisi magna obfirmatio vel obstinatio in re aliqua, quomodo dicere solemus de homine vitio alicui assuefacto, quod impossibile sit illi hoc agere, aut illud non agere, utpote de homine indurato in odio, quod non possit diligere, sed necessario debeat odire. Est enim consuetudo quasi altera natura, ut dici solet, atque ita et quamdam necessitatem videtur afferre, ita ut aliter non possit fieri, nisi cum multa difficultate.

(50) Hujus loci intellectum supra dedimus in scholiis primi capitis.

Digitized by Google

versi incrustaturam se erigit (51) continuæ mortificationis Christianæ indicium est, et oportere crucifigi simul cogitationes et opera, efficax documentum. Necesse quippe est, quantumcunque longa sint hujus sæculi spatia, ut omni vita infatigabilis ad ea quæ ante sunt semper tendat, semper se evehat patientia constans, et longanimitas perseverans. Latitudo autem charitatis zeli amplitudine universa complectitur, cum ægris infirmatur, et cum his quibus est scandalum uritur (*II Cor.* xi). Extendit se et superfertur afflictis, affectu nutritio ; expansisque alis pullos implumes aggregat, et fovet, et protegit, et seipsam in tutelam parvulorum exponens, negligit ; neque alios ut defendat, propria damna formidat. Cum his etiam qui oderunt pacem, in tantum est pacifica (*Psal.* cxix), ut nec læsa exigit ultionem, nec exacerbata referat contumeliam ; et si corrigat, omnino sollicite agit, ut plus agat benevolentia quam severitas, cohortatio quam commotio, humilitas quam potestas. Justum et impium simul complectitur : alterum, ut stet, alterum, ut resurgat. Non est ei advena bonitas, nec emendicat aliunde clementia ; non stimulis, non legibus, non loris ad portanda aliena onera urgetur, ultro demisso poplite curvat scapulas, nec grave judicat eos pati qui seipsos ferre non possunt, sed de alterius miseria beneficium ordinat, et liberalitatem exornat. Si qua sunt apud infirmos inhonesta, his abundantius ho- A norem circumdat (*II Cor.* xii), non improperat, non diffamat ; sanat, non vulnerat ; curat non lacerat ; exonerat, non gravat. Operit peccata, non divulgat. Hujus latitudinis mysteria Christus etiam inter supplicia commendans, in quod expansis manibus elevataque læva et dextera inter latrones se medium exhibebat, volebat intelligi commune esse illud beneficium, et non solum bonis, sed et impiis quod agebatur proficere, et se potius medicamina illa ægris proposuisse quam sanis, et gratia illa pari libertate donasse eos qui de libera, et eos qui nati fuerant de ancilla (*Gal.* iv). Restat altitudo, quam usque ad summum intimat pars porrecta. Hæc est bonæ spei confidentia, quæ crucifixos mundo cœlestibus invehit, et ex bonæ conscientiæ testimonio securos B certosque illi gloriæ consociat, jam jamque bonis illis manum intentat, jam gustat, jam os aperit, jam delibat, jam conversatur cum angelis, jam illa prosequitur agmina, jam agnoscit, jam liquescit, jam amat, jam jubilat, jam lætatur et delectatur, hilarescit et quiescit, intelligit et diligit ; et tamen quantalibet perfectione quisque quæ sursum sunt sapiat, interest tamen plurimum inter fidem et speciem (52), nec sine cruce est electis id latio plenitudinis, quos jam probatos consummatosque nulla quidem tentatio concutit, sed ut diximus, hoc solum deest ad cumulum pacis quod nondum ex toto se integram exhibet contemplatio veritatis.

(51) *Crusta* feminino genere, significat fragmentum lapidis aut ligni aut alterius hujusmodi. A *crusta* autem, sit *crusto*, verbum, a quo *incrusto*, quod est, crustam duco sive crustam applico. Unde crustatio sive incrustatio deducitur, cum crusta alicui applicatur. Idem significat incrustatura. *Usque ad ligni ergo incrustaturam*, id est usque ad locum illum sursum, ubi lignum transversum applicatur et conjungitur recto ligno. Nam longitudinem crucis ab altitudine sic distinguit (*a*), ut longitudinem sumat ab imo pedum, usque ad conjunctionem ligni transversi : altitudinem vero sumit, secundum id quod ab incrustatura residuum est desuper. Sic enim C videtur auctor crucis imaginari formam, quomodo fere a pictoribus solet depingi, licet nonnulli putent super incrustaturam non fuisse partem aliam sursum porrectam.

(52) Habebant quædam exemplaria, *inter fidem et spem*. Verum id nihil ad propositum facit. Unde manifestum est, *speciem* non *spem* esse legendum. *Modo enim*, ut ait Apostolus, *per fidem ambulamus, non per speciem* (*II Cor.* v). In patria autem superna per *speciem* vident Deum, sine ænigmate, sicuti est (*I Joan.* iii).

(*a*) Vide I Lipsium De cruce.

TRACTATUS SEXTUS ET SEPTIMUS.

De sexto et septimo ultimis verbis Domini in cruce : *Consummatum est ;* et : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* xxiii).

—

Post myrrhatum calicem et reliqua crucis ludibria (53), quod a Matthæo, et Marco et Luca fuerat prætermissum, Joannes non tacuit, hoc videlicet quod, bene dispositis omnibus, et assignato in no- D vissimis testamento gratiæ et certæ spei regulis commendatis, ad intimandum quod nihil omnino deesset ad doctrinam formamque justitiæ Christus intulerit : *Consummatum est ;* ac deinde : In ma-

(53) Duo verba novissima, sextum : *Consummatum est :* septimum : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, uno tractatu auctor absolvit. Et de hoc quidem pauca admodum loquitur, in ipso principio ; de illo autem prolixius loquitur, ostendens in multis quomodo per Christum sint consummatæ legales umbræ et cæremoniæ : ad quod propositum illa omnia spectant quæ de agno paschali et ritu esus illius exponit, item de indumentis et ornamentis sacerdotalibus.

Digitized by Google

nus Patris spiritu commendato, inclinans caput, quasi gratias agens, potestative emiserit animam (54), consummans omnem legalium rationem hostiarum, et ultimam ænigmatibus antiquis manum imponens. Sese itaque totum obtulit Patri, et consummata est illius holocausti plenitudo; expensis in illud ministerium carne simul et spiritu, quia et pro carne et pro spiritu hominis agebatur, et totus homo totum Christum habuit sanatorem, dum et caro in medelam carnis oblata est in ligno, et ad sanctificationem animæ obtinendam, spiritus ille descendit ad inferos et ascendit ad superos, ibi confringens ferreos vectes (*Psal.* CVI), hic portas aperiens æternales (*Psal.* XXIII). Et a corpore quidem anima illi Christi per illud triduum se absentans non ita divinitatem quemadmodum carnem deseruit; sed erat Deus in ea indivisibiliter, mundum reconcilians sibi (*II Cor.* V), tollens a nobis mortis formidinem per maturam resurrectionem, purgans illa amaritudine quidquid voluptatum venena infecerant, victoriæ suæ gloriam cœlo exhibens et inferno. Abstractisque his qui in illa exspectatione diu langueranf, etiam angelorum desideria complevit, quibus hæc hominum restitutio grata fuit. Nec fuit mora inter oblatum et impetratum, sed sub omni celeritate se complexæ sunt passio et absolutio. Itaque alterum ex altero constitit, ut eadem hora et repleret superos, et inferos captivaret. Acta sunt tamen in cœlestibus gaudia illa prolixiori spatio, neque statim reversa est ad corpus suum anima Christi, sed interim his quos de tam antiquis tenebris liberaverat, splendoris divini gratulabundam exhibebat præsentiam; et his qui in mundo erant consolationem dispensatoriæ aliquantulum differebat, ut et dilatio augeret desiderium et resurrectionis repentinæ lætitia impleret affectum. Quia igitur hoc in capite libri scriptum erat, ut hanc Patris voluntatem Filius faceret (*Psal.* XXXIX), et res diu exspectata et multis præfigurata modis, occultam a sæculo faciem in lucem protulerat, exoneratum peccatis populum, non ultra passus est Christus supervacuis gravari culturis, quia deinceps non esset religio, sed superstitio, si cæremoniarum veterum fæces cum vino mero in evangelico calice miscerentur. Nec tantum passionum suarum finem, sed illarum etiam observantiarum intelligi voluit, ut postquam advenerat veritas, figuræ cessarent, nec ultra superflue vexarentur fideles spinosis circuitionibus (55), per devia aberrando, cum indicaret eis ipsa veritas viam, *et loqueretur publice, qui loquebatur, ecce adsum* (*Isa.* LII). Unctus erat Christus oleo lætitiæ pro cunctis humanæ naturæ participibus (*Psal.* XLIV), qui etiam præ angelis nomen hæreditabat differentius (*Hebr.* I), et exsiccata jam erat a facie hujus olei Judaica unctio (56), et necesse erat, ut complicaretur ephod, et theraphim non appareret (57) et quidquid Beseleel vel contexuerat vel celaverat, locum daret vivis et rationalibus documentis, et abessent umbræ et imagines et typica integumenta, ubi ipsa veritas nudam formam et puram speciem intuentibus exhiberet (*Exod.* XXXVIII).

Itaque finem legis advenisse in fine passionum Christi monstratum est, et quidquid ab antiquo in sanguine hircorum et vitulorum, sive in aliis quibuscunque vel odoramentis vel libamentis, lex multipliciter ad expiationem peccatorum agendum decreverat, gratia reduxit ad compendium; et ab-

(54) Videlicet quia ut ipse Christus dixerat nemo tollere potuit a se animam suam, sed ipse eam a seipso posuit, potestatem enim habebat ponendi animam suam, et potestatem iterum sumendi eam (*Joan.* X). Sic autem animam emittens dicitur consummasse rationem, id est significationem omnium legalium hostiarum. Siquidem non aliud fuerunt omnes legales hostiæ quam figuræ unius acceptissimæ Hostiæ. Ultima quoque manus est imposita antiquis ænigmatibus, id est perfectionem suam ultimam sunt adeptæ umbræ legis. Sic enim proverbialiter dicitur illi manus extrema vel manus ultima apponi, quod suam accipit perfectionem ultimam. Omnes autem umbras illas et figuras veteres manifestum est perfectas, consummatas et impletas esse per ipsius adventum veritatis. Unde et ipse dixit in Evangelio : *Non veni solvere legem, sed adimplere* (*Matth.* V). Et Paulus apostolus ait : *Legem non destruimus, sed legem perficimus* (*Rom.* III).

(55) Quædam exemplaria habebant *sinosis*, alia *spinosis*. Utraque lectio bonum sensum habet. Erant enim illæ umbræ legis circuitionis spinosæ, id est aridæ, afflictivæ atque punctivæ, in modum spinarum. Erant et sinosæ, id est curæ, per inflexus et ambages hominem circumducentes, nec ad ipsam veritatem recta aut compendiosa via perducentes. In eo autem quod sequitur : *Et loqueretur publice qui loquebar : Ecce adsum*, oraculum tangit Isaiæ prophetæ, qui de Christi adventu verba faciens, in ejus persona sic loquitur : *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quoniam qui loquebar, ecce adsum* (*Isa.* LII). Ipse, inquit, qui loquebar *multifarie multisque modis olim in prophetis* (*Hebr.* I), nunc adsum in assumpta carne, ut perficiam omnia.

(56) Involvit in verbo uno prophetiam duplicem, alteram Isaiæ, alteram Danielis. Apud Isaiam sic legimus : *Erit in die illa, auferetur onus ejus* (nempe Madian) *de humero tuo, et jugum ejus de collo tuo, et computrescet jugum a facie olei* (*Isa.* X). Hoc autem oleum, illud est quo Christus est unctus (*Psal.* XLIV), a facie cujus olei computruit jugum Madian, id est ablata est potestas diaboli, et captivitas qua sub se nos detinebat. Apud Danielem vero de unctione judaica dicitur : *Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra* (*Dan.* IX). Quid autem hoc est, nisi cum venerit unctio hujus olei, quo unctus erit Sanctus sanctorum, tunc cessabit vestra corporalis unctio? A facie igitur olei Christi, et jugum diabolicum computrescere, et unctio Judaica cessare debuit : quorum utrumque jam magno omnium fidelium gaudio perfecte est adimpletum.

(57) *Ephod* erat vestis sacerdotalis in lege veteri. De theraphim autem beatus Hieronymus in Commentariis Osei, super verbo illo : *Sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et altari, et sine ephod, et sine theraphim* (*Ose.* III), sic : Theraphim proprie appellantur μορφώματα, id est figuræ et simulacra, quæ nos possumus in præsenti loco duntaxat cherubim, et seraphim, sive alia quæ in templi ornamento fieri jussa sunt dicere.

Digitized by Google

breviato tantæ fatigationis itinere, unum sanguinem, unam incensionem proposuit, et unum holocaustum omnia continens, ea moderatione aptavit, ut ad id comparandum, quantæcunque mendicitatis esset homo, haberet sufficiens pretium, nec quemquam persona vel locus impediret a tantæ dignationis accessu. Unum igitur agnum habet Ecclesia, neque quoties Pascha revolvitur, quæri alterum necesse est, et cum una sit tribus et familia populi Christiani, uni populo una sufficit hostia et in una domo una ponitur mensa. Unum habet panem et calicem universitas fidei ; et multitudini credentium unus cibus apponitur, idemque sumitur, nec consumitur ; et cum omnes impleverit, superest et abundat. Mutabantur panes propositionis per singula Sabbata (58), appositisque calidis, frigidi tollebantur, quia veteres oblationes, quasi frigidas et calorem spiritus non habentes, repudiandas tempore gratiæ, ipsa panum mutatio intimabat. Agnus noster idem est, nec diversi per diversas familias immolantur, quia sicut unitas Ecclesiæ nec scindi potest nec dividi, ita necesse est ut unum agatur ab omnibus, et uniforme obsequium devotio communis exhibeat, totiusque universitatis consensum sacrificii singularitas ipsa commendet. Quod vero ad esum agni (59), si forte quid superesset, vicinus conjunctus domui ejus cui supererat, vocari præcipitur (*Exod.* XII), introductionem gentium ad communionem sacramentorum Ecclesiæ exprimit : quas utique per Evangelium vocatas convivii hujus sapor illexit, et eatenus jejunos ad ea quæ Judaicus populus edere non potuit, grata mater admisit. Mirum omnino est dictu, et res ipsa spiritualem exigit intellectum, quod, cum agnus non nisi ab una familia posset immolari, quæ esse posset tantæ paucitatis familia, ita carens filiis vel nepotibus aliisque propinquis, ut unum non posset per se agniculum edere, maxime cum tam numerosa illius gentis esset fecunditas, multaque conjugia multiplicem sobolem cumularent. Sed, ut diximus, intimàta est prophetice vocatio gentium, et admissæ sunt per fidem ad participationem sacramentorum, Judæis secundum carnalem sensum litteraturæ hærentibus, nec pervenire valentibus ad spiritualis plenitudinem intellectus. Assatus est ergo agnus noster in veru crucis, subter incensis tormentorum carbonibus, nihil crudum aut carnale in eo jam sapimus, nihil elixum aut molle ; sed ita illa boni odoris assatio in patibuli flamma induruit, ita solidata est, ut nihil in eo ultra supersit vel passibile vel mortale, sed omnino mortis pyra ab antiquo accensa sanguinis illius conspersione exstincta est. Ideoque et sibi et nobis constat inconsumptibilis illius integritas, quia nec corrumpi potest quod omnino est solidum, nec minui quod æternum. Caput ejus cum pedibus edimus, nec abhorremus intrinseca, quia fides nostra in hoc vivit et proficit, hoc fatetur, hoc credit quod Verbum quod erat *in principio apud Deum factum sit caro* (*Joan.* I) in fine sæculorum, et majestas divina usque ad infirmitatis nostræ descenderit intestina, nec nostræ fragilitatis abhorruit officinam ; et qui erat nostrum principium, ad finem quoque nostrum accessit, constituens in se nobis metam et terminum, per finem temporalem revocans ad finem infinitum, et consocians corporis et capitis gloriam, individua connexione astrinxit in unum. Sic caput, sic pedes, sic intestina comedimus, cum ita altitudinem Christi prædicamus, ut non erubescamus humilitatem ; ita infirmum, ut fortitudinem quoque non negemus; ita stultum, ut sapientiam admiremur, quia hoc amplius stupendum est in illo nostræ redemptionis negotio, quod exinaniri sic se passa est divinitatis sublimitas, quam quod in se incommutabilis virtus et incomprehensibilis magnitudo stat in beatitudine sempiterna immobiliter perseverans. Atque ita et apud Ezechielem faciem et pedes Dei quasi prima et novissima cherubim contegunt, media tantum videnda exponunt (*Ezech.* I), quia quæ ante mundi constitutionem apud ipsum erant, vel quis status rerum futurus sit post judicium ultimum, cibus est fidei et spei. Interim dum intelligere satagit quæ secundum carnem gesta sunt, et humanitatis indagare affectus quasi ex charitatis ejus visceribus, religionis mansuetudo pascitur.

Carnem igitur hoc modo comedimus, ossa vero igne comburimus (60), quia sacramenta quidem (quæ quasi divinæ virtutis caro sunt, et veritatis

(58) Paulus apostolus, apud Hebræos de veteribus oblationibus, ad hostiam Christi præferendam disputans, ex illarum per singulos annos iteratione, arguit earum imperfectionem. Sic enim ait : *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos, eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere; alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati : sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit* (*Hebr.* X). Ita in proposito auctor noster ex panum mutatione per singula Sabbata arguit quod non essent perfectæ et consummatæ illæ oblationes, alioqui non sic mutarentur. Ac præterea speciale notat mysterium, in hoc quod panes frigidi tollebantur, et apponebantur calidi.

(59) Exponuntur hic atque in consequentibus mystice per allegoriam quæ ex Domini præcepto Moyses circa esum agni paschalis præcepit observari, de quibus omnibus habes, Exod. XII. Primum autem exponit quid sibi velit quod præcipitur, si familia una non sit sufficiens ad manducandum agnum, ut vicinum suum debeat sibi adjungere. Deinde quod præcipitur illis, ut agnum assum igni, et nihil ex eo crudum aut elixum sive aqua coctum comedant, quod facit, dum nonnullis interpositis dicit : *Assatus est ergo agnus noster*, etc., ac deinde quid sibi velit quod agni caput, pedes et intestina vorari debebant.

(60) Non invenio in textu libri Exodi expresse id de ossibus agni dictum, quod igne essent comburenda. Attamen secundum consequentiam dicitur, cum præcipitur os non confringi, et, si quid de agno residuum fuerit, igne comburi. Sic enim præceptum fuit : *Os non confringetis ex eo* (*Exod.* I, II.) Et iterum : *Si quid residuum fuerit, igne comburetur* (*Num.* IX).

Digitized by Google

integumenta) visibiliter secundum suam speciem A percipimus et sumimus ; ipsam vero substantiam secundum inintelligibilem et invisibilem statum firmam omnino et solidam, nec frangimus nec minuimus, sed flammis injicimus, id est spiritualibus intelligentiis commendamus, quod spiritus et vita sint in divinis mysteriis, nec fas sit intellectu humano tantæ rei confringi notitiam, quam interim intra se Spiritus sanctus colligit, donec *evacuato quod ex parte est* (*I Cor.* XIII), perfectum prodeat palam, et cognoscentes sicut et cogniti sumus, jam non hoc sacramento agamus, sed specie (*ibid.*). Ideo nocte agnum mactare præcipimur, quia nondum ad liquidum elucet hujus operis ratio, cujus fides ministra est, quam in splendoribus sanctorum deteget veritas, cum novum vinum in regno Dei B propinabitur (*Matth.* XXVI), accensisque lampadibus virgines animæ ad æternas nuptias admittentur (*Matth.* XXV) positaque inextinguibili lucerna super candelabrum, omnibus qui in domo erunt lucebit tam sacramentorum veritas quam ipsius ratio Trinitatis. Interim sane immensi quæstus res agitur (61), et virtutem invisibilem manifestus effectus eloquitur, fideique certitudinem beneficia indulta corroborant, et ex collatione præsentium firma fixaque est exspectatio futurorum. Datur nobis Agnus iste ad epulum, datur sanguis ejus ad poculum. Mandatur extrinsecus liminaribus et postibus domorum nostrarum sanguis ipse apponi in signum (*Exod.* XII), ut munitum sit quod patet et C quod latet, habeantque caro et spiritus secura præsidia, cum cibus potusque divinus animam introrsus alat et vegetet, abigatque extra virtutes contrarias signum crucis et sanguinis nota. Nec dubium quin omnino formident dæmones passionis formam, terroremque eis characteris hujus inspectio ipsa incutiat. Etiam ipsos sacramenta sancta et fidei muniunt signa, quos constat non quantum expedit Christiano dogmatis et castis moribus conformari, sed sollus fundamenti obtuitu, cui quoquomodo inhærent, nec statim propter ligna et fenum quæ superponi a negligentibus vident (*I Cor.* III), irruunt dæmones in quoscunque carnales ; sed reverentur fundamentum, et disparent ad vivificum signum, nec temere accedunt ad consecratam sanguinis balsamo domum. Alioquin, si ad singulos excessus vim suam penitus sacramentorum subtraheret virtus, et inaniter frontibus errantium crucis titulus pingeretur, et nulla spes superesset ruentibus. A quibus licet lapsus articulo Spiritus sanctus abscedat, manent tamen etiam in reis, nec sunt inania sacramenta, ad quæ, ut compungitur qui deliquit, idem spiritus redit. Tantaque est sacramentorum dignitas, ut ipso spiritu absente, non audeat vis inimica ingredi (62), nisi desperatione et consuetudine, deliberatoque consensu signum sanctum victa captivaque mens apostasiæ scalpello eraserit. Hinc est quod exterminator angelus, primogenita quæque Ægyptiorum percutiens, viso hoc signo, a liminibus sanguine illitis, quasi increpatus se cohibet : enecatisque Ægyptiis, illæsi incolumesque manent quorum latera frontemque cruoris hujus conspersio rubricaverat (*Exod.* XII). Sic Raab cum esset meretrix, appensa ad fenestram reste coccinea (63), salvatur, et sola ex Jericho libera evadit, nec patuit domus ejus vastationi et prædæ, quam tam celebris signi reverentia muniebat (*Josue.* VI). Jubetur etiam, ut festinanter et avide hoc agatur convivium, vestesque itinerarios habentes in manibus lumbis præcinctis, panes azymos edant cum lactucis agrestibus (*Exod.* XII), quia tanti operis ministros, nec desides decet esse nec molles, neque viaticum accipientibus exiturisque de Ægypto, quærenda sunt diversoria voluptatum : sed in exitu de populo barbaro (*Psal.* XIII), simul se debent componere amaritudo pœnitentiæ et sinceritas vitæ.

Hæc carnaliter aliquando, sicut et cætera legis ænigmata, profuerunt, dum fides et pietas ad id quod promiserat veritas concurrebant, sed ubi ve-

(61) Quia videlicet nunc per fidem ambulantes, non per speciem, cœlestis regni et vitæ æternæ hæreditatem nobis comparamus, quod est lucrum omnium maximum.

(62) Et hoc sane intelligendum de introitu ad plenam et quietam inhabitationem. Aliquo enim modo diabolus in hominem ingreditur, quandocunque peccato tali inquinatur quo fugatur spiritus, id est peccato mortali. Cum enim sic peccans efficiatur filius et servus diaboli, habet aliquo modo diabolus in ipsum introitum. Verum non sic plenum et liberum, quin possit ille eum facile expellere, quoties pœnitere voluerit. Adjungit autem signanter : *Nisi desperatione et consuetudine deliberatoque consensu, signum sanctum victa captivaque mens apostasiæ scalpello abraserit.* Ubi notandum multos peccare mortaliter, et spiritu Dei ad tempus privari, qui tamen non penitus ex deliberato consensu a Deo se alienant, neque ut tales derelinquuntur a Deo, quemadmodum cum David in peccatum incidit, qui ex infirmitate vel tentatione devictus magis quam ex malitia aut consuetudine, peccavit : propter quod non est a Deo derelictus. Qui vero ex desperatione aut consuetudine aut consensu deliberato, ex malitia et proposito, peccatis se subdunt, hi quasi scalpello eradunt signum sanctificationis suæ, et quasi seipsos ut ita loquamur degradant, ne de familia et domo Dei habeantur : propter quod, liberam in illos dæmones sibi usurpant potestatem, tanquam si nunquam tali fuissent signo consignati. Sed hæc prolixiorem forte tractatum requirerent.

(63) In utroque signum est et figura illius salutis, quæ per Christi sanguinem erat mundo conferenda. Quemadmodum enim sanguis ille agni quo erant superliti postes Judæorum Christi sanguinem signabat, et de percussione angeli evasio liberationem signabat credentium per sanguinem Christi ita restis illa coccinea quæ erat rubri coloris sanguinem Christi rubicundum præfigurabat, in qua salus est data, sicut illidata fuit salus per coccineam restem. Possetque horum prius ad liberationem Judæorum, posterius ad liberationem gentium referri, ut sic in duabus liguris istis idem signantibus, utriusque populi liberatio significetur.

Digitized by Google

nit plenitudo temporis (*Gal.* IV), finisque legis Christus (*Rom.* X), quidquid de agno, vel hædo, vel juvenca rufa mandatum est, omnia factus secundum congruos status, et in se omnia referens juxta proprios intellectus, cessatum est a multis, ubi unum sufficientiam posuit ; nec oportuit adhiberi signantia, ubi significatum advenit. Sacrificia de craticula vel sartagine (*Levit.* II), zelum fervoremque sanctorum prælocuta sunt : suffumigationes aromatum, incensiones orationum, et pia vota, affectusque sanctorum, incensi adipes, emortuas voluptates. Indumenta sacerdotum, multiplicium gratiarum ornatum continebant. Feminalia (64), quæ ad operienda pudenda primo loco posita sunt (*Exod.* XXVIII), tantam edocent oportere esse continentiæ verecundiam, ut ne suspicioni quidem locum relinquat ; et ita abscondi quidquid, id est inhonestatis notabile, ut nullo casu ad ea intuenda, zelotes admittatur aspectus. Sed talem se exhibeat conversatio sacerdotum, quasi sine sexu sit ; et omnino abominetur hujusmodi labem : quin etiam confundatur et erubescat ad membra communia, ipsamque operiat naturam consciam sui, detesteturque quod potest, non quod agit, et quasi emortuas et fetidas partes illas sepeliat et abscondat. Secunda vestis, quæ poderis, id est talaris dicitur, linea est ; quæ munditiæ perseverantiam intimabat, et vitæ immaculatæ candorem : quæ stricta erat et adhærens corpori, quia singularitatem hoc propositum diligit, et expeditos esse oportet, qui sanctis ministrant altaribus, carnemque et vestem et totam conversationem solitariam exhibere. Tertio loco aderat balteus, lineam tunicam inter umbilicum et pectus astringens, ut in eamdem legem sub ejusdem propositionis vinculo, mens et actio convenirent ; et utrumque quadam necessitudine ageretur, carnalisque et spiritualis affectus, hanc regulam sibi pari voto conscriberent, et in idipsum communi studio perenniter consentirent. Quartus ornatus erat tiara vel cidaris : qui capitis cultus (eo quod domestica est ibi camera sensuum, et propria sapientiæ domus) indicat, quo philosophica contemplatio tendat, et quantæ sit sapientiæ, eligere cœlibatum (65). Hæc omnia fieri jussa sunt de lino, unde et byssus aptatur, ut non lateat hujus studii et propositi animos, quia multis ablutionibus opus est, ut ad hunc candorem exercitatus quisque perveniat (66) ; diu torqueri et longa consuetudine carnales solidari affectus, ne tentationum mole facile dirumpantur. Et quidem ad caput nostrum (quod est Christus) hac cydari signante, tota puritatis nostræ referenda est gloria : et tunc demum tuta poterit esse perseverantia, si in eo fixa sit spes, et fiducia radicata.

Hæc quatuor indumenta minoribus et summis sacerdotibus ex lege et decreto erant communia. Quatuor reliqua sunt proprie summi sacerdotis. In primis, post indumenta prædicta, tunica hyacinthina summus pontifex induebatur ; dependebantque in inferiori ejus parte per circuitum LXXII tintinnabula, et inter duo tintinnabula unum malum punicum (*Exod.* XXVIII, *Eccli.* XLV). Omnia erant ex auro purissimo, ut totus vocalis ingrederetur in sancta ; si aliter ageret, continuo moriturus. Vestis sane illa hyacinthina animam in sanctimonia enutritam ad illum profectum indicat pervenire, ut spiritu vivat, spiritu ambulet, a nemine judicetur, et omnia judicet (*I Cor.* II). Hoc enim est summum sacerdotium, ad hunc apicem sanctitatis attingere, ut totum se vir justus cœlestem exhibeat, moresque supernos et divinam exprimat formam, soliqne Creatori mente infixa individua conversatione inhæreat, hoc totum complectens, tunica hyacinthini coloris insinuat. Tintinnabula vero aurea erant ; mala autem ex hyacintho et purpura, cocco et bysso, in modum sphærulæ facta : hoc signante Spiritu sancto, quod viri contemplativi quorum conversatio in cœlis est (*Phil.* III), et qui quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram (*Colos.* III), fidei Christianæ doctrinam et maxime novissimum debent populis denuntiare terribile judicium ; totusque eorum incessus et sermo resonare debent divina mysteria, nec gratiam divinam, quæ data est illis, premere vel suffocare debent silentio. Quia non satis est acceptum in sudario reposuisse talentum, nisi a negotiatione servus revertatur cum lucro (*Matth.* XXV ; *Luc.* XIX) ; nec prodest hyacinthina tunica, nec castitatis continentiæque insignia doctori sufficiunt, nec pacificus est ad altaria sancta ingressus, si negligit annuntiare impio viam suam, peccatique stipendium, cum et ille non habens

(64) Omnia quæ ab hoc loco ad finem usque sequuntur, de indumentis et ornamentis loquuntur sacerdotum, eaque secundum moralem sensum apte et dilucide explicantur. Quæ quia ad propositum negotium de septem verbis Domini non directe pertinent, et quia satis clare ab auctore dicuntur, non multis neque prolixis scholiis duxi vel illustranda vel oneranda. Cæterum de ipsis indumentis et ornamentis, ad litteram si requiras, plenissime omnia habes Exod. XXVIII, per totum cap., et item ejusdem libri capite XXXIX, et Ecclesiastici XLV.

(65) Quidam codices habebant pro *philosophica*, *prophetica* ; alii, *physica* : et est in omnibus his lectionibus æqualis veritas, quoniam ad idem tendunt contemplatio prophetica et philosophica et physica sive naturalis, nempe sursum ad Deum : quod signatur in tiara vel cidari, quæ est mitra sursum tendens. Indicat eadem mitra, quantæ sit sapientiæ eligere cœlibatum, in eo quod caput sacerdotis ipsum eligentis, tali sit candido ornamento adornatum.

(66) Antequam ex lino possit perveniri ad byssum, sive pannum lineum candidum, opus est multi laboris impendio, opus est multis ablutionibus : fila diligenter singula torqueri debent digitis, ut soliditatem et firmitatem accipiant. Nam antequam torta fuerint fila, statim rumpuntur. Sic oportet omnem eum qui velit assequi candorem puritatis et in ea stabilitatem obtinere, multo labore et continua exercitatione illam obtinere.

Digitized by Google

correctorem in peccato suo pereat, nec prosit doctori sua justitia, cum sanguinem errantis judex de manu speculatoris requirat (*Ezech.* III); nec magnum est sibi vivere, nisi satagat et alios secum vivere, quia, ut ait Seneca, qui res et homines fugit, qui alios videre non potest, sed velut timidum atque iners animal metu deobliluit, nequaquam dicendus etiam vivere sibi, sed somno et ventri. Ideo ingrediens in sancta sanctorum totum vocalem se debet summus pontifex exhibere, et virtute verbi quasi floribus odoriferis allicere auditores, ut prædicatio quasi tintinnabulum ex auro purissimo puritatem perfectionemque singularis intelligentiæ indicet, et ex omni parte per circuitum sermo ejus lucis divinæ intonet claritatem; et ipsi florum colores in hyacintho, ut dictum est, cœleste desiderium, in purpura magnanimitatem regiam adversus peccatum, in cocco bis tincto inflammatum in dilectione Dei et proximi piæ mentis ostendat affectum. Oportet sane ut sacerdotalis actio semper sit et auro sapientiæ fulgida, et hyacintho spei in sublime erecta, et purpura regni ut debellatrix peccati et in captivitatem redigens dæmonum monstra circumdata, et cocco bis tincto, dilectione gemina, flammea, et bysso retorta semper in oppressione et castigatione carnis sollicita. In malis punicis, quæ intra corticem unum contegunt multa grana, virtutum multifaria operatio exprimitur: quæ undique uno charitatis integumento ambitur. Et recte tintinnabulis mala miscentur; cum simul prædicatio et actio coherent, et doctor ipse quæ dicit hæc facit. Sextum deinde additur indumentum, quod superhumerale dicitur; hoc apud Hebræos etiam Ephod appellatur. Hoc Samuel, cum puer esset, habuisse legitur (*I Reg.* II); et David ante arcam hoc tulit (*II Reg.* VI). Sed Ephod, id est superhumerale quod summorum erat pontificum, erat ex hyacintho, et purpura, et cocco byssoque contextum. Aliud vero ephod quod et pro tunica linea accipitur, simplex erat et lineum. In hoc superhumerali duo lapides onychini, auro inclusi inserti erant: unus in ora una, et unus in altera; et sculpta erant nomina filiorum Israel, sex in lapide uno, et sex in altero. Itaque in superhumerali pontificis, hoc debet intelligi, quomodo in portandis fratrum oneribus officium illud se habere debeat, quantaque eis ex debito regiminis sollicitudo incumbat, ut propriis humeris ovem perditam ad ovile reportent. In hoc bonorum operum patientia, in laboribus perseverantia indicatur.

In coloribus vero superhumeralis, quæ sit ratio, dictum est supra. Quod autem nomina patriarcharum gestat in humeris, ob recordationem eorum utique sit, ut videns populus Patrum nomina conscripta in veste pontificis, eorum imitetur justitiam, veniatque in memoriam fides Abrahæ, mansuetudo Isaac, patientia Israel, castitas Joseph, disciplina Moysi, zelus Phinees, victoria Josue, Samuelis sinceritas, David humilitas, eorumque qui de illis XII patriarchis egressi sunt principibus vel sacerdotibus, recte facta vel dicta: *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones* (*Heb.* XI). Duplex autem ratio est, quare hæc in humeris pontifex nomina portet, ut et ipse auditoribus sequenda Patrum exempla proponat, et ipse eos quos verbo instruit et exemplo, si præoccupati fuerint in aliquo delicto, in spiritu lenitatis ferat (*Gal.* VI), et amplius exonerare quam gravare infirmos intendat. Eorum enim onera ipsum lege officii sui ferre necesse est, et per singulos, sicut diversi morbi exigunt, cum his qui ignorant vel errant (*Hebr.* V), et infirmari et uri (*II Cor.* XI). Quod autem sex nomina in sinistra parte erant et sex in dextera, in lapidibus onychinis sculpta, illud est quod ad conscriptionem hæreditatis supernæ pertinent, non tantum qui probati perfectique videntur, sed etiam qui minoris æstimationis habentur, quia imperfectum nostrum non abjicit divina perfectio, et calamum quassatum non conterit, et linum fumigans non exstinguit (*Isa.* XLII). Amplexatur quidem dextera ejus, eos qui digni sunt promoveri ad oscula: sed et læva ejus supponitur eorum capitibus (*Cant.* II), quos imbecillitatis vertigo inclinat: nec patitur lapsos omnino collidi, quos corruentes excipit et piam manum inclinatis supponit.

(67) Onyx vero lapis est habens unguis similitudinem, albisque cingentibus zonis igniculos emittit: unde per hunc lapidem, in quo dextrorsum et sinistrorsum nomina XII filiorum Israel sculpti jubentur, recte intelligimus hanc Scripturam pertinere ad Christum: qui in carne assumpta quasi unguem se nobis exhibuit, et operuit multitudinem peccatorum zonis candidis, id est continentiæ doctrinis cingens electos, et miraculorum igniculis accendens ad fidem, ardebat intus, et lucebat exterius. Ipse est autem lapis ille, in quo et lex est conscripta divinitus, et in quo scribuntur nomina eorum omnium qui nomen ipsius non assumunt in vanum: quas nulla tribulatio vel adversitas, cum semel insculpti fuerint, eradere poterit vel delere. Ideo a dextris et a sinistris locantur, quia fundatos vel scriptos in petra, nec altum concutit nec profundum, quia per arma justitiæ (*II Cor.* VI), in prosperis et in adversis gradiuntur invicti.

Sequitur indumentum septimum, quod Hebraice *nosen*, Græce λογιον, Latine vero rationale vocatur. Hoc ex eisdem speciebus et coloribus quibus est

(67) Græce ὄνυξ *unguem* significat et propter similitudinem unguis humani, lapis ille onyx dicitur aut lapis onychinus. Christus vero dicitur unguem se nobis exhibuisse, quoniam sicut unguis carnis teneritudinem operit et defendit, sic Christus nostræ carnis infirmitatem operit, id est peccata delet, et carnem mollem sua duritie vestit ac munit, id est nostræ carnis imbecillitatem sua soliditate confirmat et servat a nocumento.

Digitized by Google

superhumerale, et propter easdem rationes aptari jubetur.

Duplex vero fit propter lapidum pondus, ne forte rumpatur. Quadrangulum quoque erat, et palmi mensuram tam in latitudine quam in longitudine continens. In quaternario, doctrinæ evangelicæ jugem memoriam accipe; in palmi mensura, plenam juris mensuram, quantum possibile est operationi humanæ attingere. Qui enim palmo aliquid metitur, expansis digitis manum extendit ut possit attingere in locum quo tendit. Eadem igitur mensura erit piæ intentioni in longitudine boni operis, et in latitudine charitatis. Intexti quoque erant in eo XII lapides per quatuor ordines terni et terni in latere uno, et terni et terni in latere altero. Et sculpta erant nomina filiorum Israel in singulis singula, per tribuum differentias et ætatum. Per quatuor vero rationalis angulos, quatuor annuli aurei erant, habentes contra se in superhumerali alios quatuor annulos, ut annulus contra annulum veniens, catenulis aureis utrinque ad hoc insertis, superhumerale et rationale invicem jungeret, et mutuo copularet. Sed et unc'ni erant in superhumerali infixi, in quibus catenæ inserebantur : quæ annulos utrinque sibi occurrentes nectebant. Erant etiam et in lateribus et in superiori parte rationalis et humeralis annuli, duo in summitate et duo in lateribus, et per singulos discurrentes catenæ sub et supra; ut in quatuor angulis et in ambobus lateribus junctura adessent, et ad scapulas et ad extremitates et ad media utrumque indumentum firme stringerent ligaturæ.

Hoc autem indumentum non tantum rationale, sed etiam rationale judicii a Domino dictum est. In quo doctrina et veritas poni jubentur, et hoc summi pontificis pectus, cum ingreditur in sancta sanctorum, ornatur. In primis diligenter attendendum est quod qui hac veste induitur in qua litteris doctrina et veritas impressa est, consecratum doctrinæ et veritati pectus suum intelligat, neque debere sæcularibus negotiis et actionibus et lucris occupari, sed doctrinam fidei exemplo et moribus indicare, quia omnino infame est abuti ratione, et corrumpere doctrinam et circumventionibus vel technis opprimere veritatem. Oportet quippe ut omnia quæ agit moderatrix ratio sic disponat, et sic suis locis aptet misericordiam et judicium, ut, cum judicat, severitas non excludat clementiam, et, cum miseretur, justitiam pietas non relinquat; et, sive percutiat sive parcat, a veritatis tramite non recedat. Considerans igitur loca, et tempora, et modos actionum, et ætates et gradus in numero, et pondere et mensura singula suis aptet rationibus discretio sacerdotis, in cujus pectore horum debet esse scientia, cujus etiam necesse est vitam esse doctrinam; nec ullum locum in anima illa habeat falsitas, quæ ad judicii divini regulam quadrare debet quæcunque vel docet, vel agit, vel statuit, vel corrigit. Superhumerale etiam et rationale, sibi junctis annulis, catenarum complexu ad invicem copulantur; ut puri cogitatus in mente sancta, et rationabiles conveniant actiones, et omnia vinculo pacis cohæreant, universamque pontificis dispositionem charitatis complexus astringat. Aderat præter has ligaturas, quæ cœlestibus desideriis piisque affectionibus aptantur, præter ephod, quod posterius et anterius logion conjungebat, balteus tam tunicam hyacinthinam quam ipsum superhumerale et rationale superne constringens, tanta firmitate ut trium indumentorum una species esse videretur, et omnia sibi strictim cohærerent : ut daretur intelligi quanta sit diligentia sanctitas observanda, cui etiam post tantæ excellentiæ gloriam, post dona virtutum, post agones et colluctationes et victorias innumerabiles, restant plerumque circa novissima etiam carnis pericula : et necesse est ut semper hujusmodi sollicitudo et intus et extra invigilet, ut actionum et meditationum in finem illibata gloria perseveret. Etiam summos fulgura feriunt montes (68). Et nisi hoc balteo, etiam cum omnia eatenus bene disposita fuerint, et ratio et opera jugi nexu stringantur, per motus et impulsus diversarum tentationum disjungi potest et dissilire quod nullo turbine propellente firmum videbatur et competenter dispositum. Balteus iste ex purpura erat et bysso retorta, et hyacintho et cocco bis tincto, et similitudinem pellis colubri in rotundo contextus. Gestat autem sic ornatus pontifex nomina filiorum Israel, pro diversis rationibus, in pectore et in humeris. In humeris quidem, a dextera et læva, propter causas prædictas. Vel ideo in duobus tantum ordinibus, quia noster summus Pontifex, cujus imperium super humerum ejus (*Isa.* IX), et gentibus scripturam crucis reliquit, et eorum nomina redemptioni intimavit inscripta, quorum linguas crucis titulus continebat. In rationali vero, quatuor lapidum ordines distincte sunt positi, ut dictum est, in quatuor ejus extremitatibus, supra terni, et infra terni. In nominibus patriarcharum, quæ hærent pectori summi pontificis, hoc intimatur, quod qui in regimine sunt semper affici debeant pro his qui ad eorum sollicitudinem pertinent, et, quantum possibile est, recordari eorum debeant, ex nomine, et orationis exhibere suffragia : neque aliud illud pectus occupare debet, quam animarum zelus, quia officii illius est revocare devios, reconciliare erroneos, confirmare eos qui proficiunt in justitia, et qui deficiunt cohortari, ne desperent de venia. Sed et se ipsum etiam ad præcedentium Patrum, quorum gestat nomina, conformare debet exempla, ut quo-

(68) Ex poeta Horatio, lib. II, oda 10, ad propositum auctor verbum illud assumit, volens per hoc significare eos etiam qui videntur consummatissimi et perfecti in omnibus non esse absque tentationum periculo, dum in hoc mundo vivant, quomodo montes, quantumvis alti, propter suam altitudinem non sunt ab ictu fulminis liberi.

Digitized by Google

rum recolit gloriam, imitetur et vitam, neque ab eorum fide et operibus se alienum exhibeat, quorum actus et titulos circumfert et probat. Quod autem duodenarius numerus in quatuor ordines divisus, per singulas partes, ternarium reddit, accipi non incongrue potest quod Evangelii quadratura præ omnibus Scripturis insinuat Trinitatem. Et hæc est apostolica doctrina, quæ decem legis præcepta in duobus consummat (*Matth.* XXII; *Marc.* XII), et totum illud antiquarum traditionum dispendium (*Levit.* XIX), in dilectione Dei et proximi abbreviat et coarctat.

Sequitur octavus ornatus pontificis, tiara videlicet, quam etiam nonnulli vocant galerum, vel cidarim. Hac etiam minores sacerdotes utebantur, eratque byssina, circumdata coronula aurea, opere textili facta, sicut hodie phrygium mitris nostrorum pontificum plerumque consuitur (69); eratque in modum cassidis porrecta aliquantulum, verticis cacumen in sublime excedens, astringebaturque capiti vitta hyacinthina, ne casu aliquo immolante pontifice laberetur. At vero summi tiara pontificis excellentior erat, et, præter hæc laminam auream, quam petalum vocant, fronti habebat insertam; in qua nomen Dei, quod apud Hebræos ineffabile dicitur, scriptum erat. Hæc tiara, quæ caput tegit et ornat pontificis, totamque ejus pulchritudinem coronat et protegit, ut dictum est supra, omnes sensus capitis Deo indicat consecratos, et totam corporis gloriam debere ad caput referri. Totus enim bonæ mentis candor, et sapientiæ splendor, prædicationis gratia munditiæque gloria, benignitas charitatis, et quæcunque sanctitatis insignia, ab illo universali capite veniunt, ex quo totum corpus per connexiones et subministrationes crescit ac proficit (*Coloss.* II), solidatur ac perficitur. Ideoque ad totius candoris indicium, et complanatæ mentis compositum statum, omniumque sensuum concordiam intimandam, cidaris byssina in capite pontificis ponitur. In vitta vero hyacinthina quæ cidarim capiti astringit, hoc intelligitur, quod amor et regni cœlestis desiderium, hujus perfectionis apicem cumulat, et ille respectus totas gratiarum connexiones unit et sociat. Auri vero lamina, cui nomen illud Dei, quod diffiniri non potest ab homine, erat inscriptum, subjectam et suppositam divinæ essentiæ omnem indicat creaturam. In superioribus quidem hoc nomen ponitur, ut quidquid undique est, quantumcunque sit, se cognoscat inferius, se fateatur indignius; et si quid habet candidum, si quid conspicuum, ad illud nomen referat unde accepit, illique excellentiæ devotus ascribat. Hoc nomen tetragrammaton, id est quatuor litterarum erat, scilicet *ioth*, *eh*, *vau*, *heth*, cujus interpretatio lingua Hebraica ineffabile sonat, non quia dici non possit, sed quia ut dictum est supra, sicut est, nec capi humano sensu possit, nec diffiniri. In fronte vero hoc nomen pontifex gerit, quod utique est super omne nomen, cui omne genu flectitur (*Philipp.* II). De quo et in Apocalypsi legitur Joannis, quod cum Agno stabant supra montem Sion centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus et nomen Patris ejus, scriptum in frontibus suis (*Apoc.* XIV). Ibi enim verecundiæ sedes est, et significat professionis nostræ fiduciam; per quam non tantum in nomine gloriæ vel omnipotentiæ Dei, sed etiam in cruce Christi gloriamur. Unde et ipsæ quatuor litteræ quatuor crucis intimant cornua de quibus Habacuc ait: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus* (*Habac.* III). Sic ornatus pontifex, creaturarum omnium typum portabat in vestibus sanctis: in quarum coloribus totius mundi similitudinem præferebat. Byssus enim terræ deputatur, de qua gignitur; purpura mari, quia ex ejus cocleis tingitur, hyacinthus aeri, cujus speciem habet; coccus, propter ruborem, igni vel ætheri. Justum enim erat ut pontifex Creatorem non solum pro Israel, sed etiam pro universo mundo (qui ex his quatuor constat) rogaret et indicaret cuncta indigere misericordia Dei; et cum sacrificaret universalis conditio expiaretur; nec tantum pro liberis et parentibus, sed pro omni creatura et voce et habitu precaretur.

Hæc quæ dicta sunt in visibili pontifice (70), ad invisibilia justitiæ ornamenta nos mittunt, de quibus dicitur: *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* XIII). Et alibi: *Erit justitia cingulum lumborum ejus et fides cinctorium renum ejus* (*Isa.* XI). Hæc omnia noster Pontifex, indutus decore et fortitudine (*Psal.* XCII), in spiritu et veritate consummavit: et ingressus sacratiore cultu quam Aaron, virtutum significatarum ipsam rem amplius nos voluit moribus implere quam vestibus, et lumbos spirituali zona succingi præcipiens (*Luc.* XII), ad lucem sui intellectus et cognitionem divinam, sine carnis mentisque munditia neminem posse pervenire in illa præcinctione nos docuit. Denique ipse tunica inconsutili quasi podere pontificali indutus, integritatem charitatis, et unitatem spiritus in vinculo pacis, in eo nos observare docuit, crucem autem quasi superhumerale, sacrificium oblaturus pro populo, humeris imposuit, et plaga et sanguis loco rationalis, non solum intra se duodecim filiorum Israel nomina concluserunt, sed et totius generis humani opus illud complexum est naturam, sicut et infixus capiti titulus continebat, scriptus Græce, Hebraice et Latine (*Joan.* XIX). Nihil ad sanguinem Christi, mus consui solitum mitris nostrorum pontificum.

(69) Phrygium aut Phrygianicum opus mira varietate diversorum colorum et magno artificio erat elaboratum. Unde in psalmo XLIV, pro eo quod nostra communis lectio habet *circumamicta varietatibus*, alii ex Hebræo vertunt, *inducta phrygianicis vestibus* aut indumentis diversarum figurarum. Tale autem Phrygium sive Phryginiacum opus, vide-

(70) Hic jam prædicta pontificis legalis ornamenta Christo accommodat, et hactenus dicta ad propositum adducit verbum, *Consummatum est*, ut ostendat quomodo in Christo sint feliciter omnia consummata, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat gloriosus in omnia sæcula. Amen.

Digitized by Google

coccus legis bis tinctus apparet, ultra septuagies septies nostra tinctura præcedit : totum pallidum est, quidquid lex typice coloravit; et ad comparationem veritatis totum marcidum est quidquid contextum fuerat in figuris. Nulla hyacinthi comparatio ad carnem Christi, quia, cum *Verbum caro factum sit* (*Joan.* 1), totum cœleste erat, quod nulla peccati infecerat macula; nec quidquam ei de suo princeps hujus mundi alliniverat. Nec byssus nec purpura ejus munditiæ vel gloriæ aliqua ratione aptantur, omnia superat ejus potestas et sanctitas, sanctitudo naturæ, et principatus justitiæ, et ampl:oris gloriæ sunt quam fila quælibet torquentibus digitis elaborata, vel conchyliorum sanguine delibuta. Imposita est capiti Christo corona pro cidari, et intextæ illi serto erant pro bracteis spinæ; et pro lamina aurea, in qua nomen Dei sculptum erat, lignum cervici supereminens : in quo Pilatus pro Beseleel conscripserat nomen quo nihil in cœlo vel in terra sanctius, nihil potentius, nihil mirabilius, Jesus Nazarenus rex Judæorum. Hæc scripsit gentilis homo, nesciens quia ipse esset Rex etiam gentium. Ideo autem scripsit, utique non intelligens quia ad hunc titulum perventurus erat et jungendus aliquando populus gentium. Unxit etiam manus sacerdotis nostri, imo et caput et pedes et latus, sanguis balsamo pretiosior : quem utique puncturæ veprium et clavorum et lanceæ exprimebant, et fundebant extrinsecus; eratque omni oleo liquor ille celebrior, sanctificationem et emundationem nostram non significans, sed consummans. Hæc et alia multa, quæ lex velamine posito super faciem Moysi absconderat Christo transfigurato in monte, paucis patuere discipulis, et consummato in cruce, facta sunt evidentia universis. Ruptum quippe est illud velum integumentorum carnalium, et patuit candelabrum, et propositionis panes, et altare incensi, et cherubin et propitiatorium, et sancta sanctorum. Petræ quoque scissæ sunt, et sepulcra reserata, quia hæc consummatio et lapideis cordibus aperit spiritualem intellectum, et ad eos qui mortui erant in peccato vitalem revocat, spiritum ita ut qui desperati erant et malæ consuetudinis institis illigati, in civitate Dei nostri (quæ est sancta Ecclesia) deinceps viventes apparent; et qui diu fuerant cineres, fiunt doctores; et qui sepulti, magistri.